DE PRIORIS

NOMINUM COMPOSITORUM GRAECORUM

PARTIS FORMATIONE

SCRIPSIT

KONRADUS ZACHER.

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA LIPPERTIANA

(MAX NIEMEYER)

MDCCCLXXIII



1

DE PRIORIS

NOMINUM COMPOSITORUM GRAECORUM

PARTIS FORMATIONE

SCRIPSIT

KONRADUS ZACHER.



HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA LIPPERTIANA
(MAX NIEMEYER)
M D CCC LXX III.

ERNESTO HÖPFNER,

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS SCHOLASTICIS

PIO GRATOQUE ANIMO

HUNC LIBELLUM

DEDICAT

AUCTOR.

Ut omnium linguarum indogermanicarum, quas vocant, sic Graecae quoque nomina composita non amplius duobus membris constare solent, et si quae videntur ex pluribus partibus esse conflata, tamen revera composita non sunt nisi duo vocabula, quorum vel alterum vel alterutrum ipsum quoque compositum est. Itaque τετραγωνοπρόσωπος duobus constat vocabulis, τετράγωνος et πρόσωπον, quorum utrumque est compositum duas partes continens. Et sanscritum, quod affert Iustius p. 19, *sura-vadhû-paribhukta-latâ-gṛhâs* compositum est ex *latâgṛhâs* et *suravadhûparibhukta*. Rarissima in lingua certe Graeca (nam sanscrita, quae copulativa adamat, eius generis compositis fecundior est) sunt composita plus quam duobus membris constantia, quae illum in modum solvi non possint, ut ἀποχειροβίωτος (= ἀπὸ τῶν χειρῶν βιῶν) apud Herodotum, plura apud comicos, e. c. τορνευτο-λυρ-ασπιδο-πηγός Arist. av. 491. Quae quum ita sint, omnis de compositis quaestio duplex est, ut aut de priore aut de posteriore parte agatur. Et nos quidem nunc satis habemus, priorum partium formationem examinare, eam quam de posterioribus instituimus quaestionem posteriore quodam tempore edituri.

Priorum igitur partium triplex est natura, quum aut a nominibus aut a verbis aut ab adverbiis vel particulis indeclinabilibus sint petitae. Et earum quidem, quae ab indeclinabilibus petitae sunt, in dissertatione nostra rationem non habebimus, ut quae propter ipsam naturam mutationes perpessae sint pauciores, quodque in ea re fere consentimus cum Roedigero, qui initio libelli sui de illis egit. Ut igitur has mittamus, in ceteris vocabulis compositis ad prius membrum fingendum aut adhibe-

tur nomen sive substantivum sive adiectivum, interdum etiam pronomen, aut a verbo aliquo repetitur forma huic ipsi usui soli destinata, et extra compositionis complexus non usurpata. In illo igitur compositorum genere stirpes sui iuris perfectae suisque numeris absolutae et praeterea etiam continenti sermone usurpatae traducuntur tantum in hunc compositorum usum: in hoc novae omnino finguntur formae. Itaque in illo nihil quaeritur nisi quomodo mutentur stirpes illae, quum ad composita fingenda adhibentur, in hoc de tota vocis forma quaestio est.

CAPUT I.

De priore parte nominali.

Eorum compositorum, quae a nominali parte incipiunt, in omnibus familiae indogermanicae linguis hanc communem esse legem constat, ut *prior pars sit purum nominis alicuius thema, nullo addito declinationis signo.* Quam legem et a Germanicis linguis et a Slavicis, omniumque severissime a lingua Sanscrita observatam Graeci quoque in maiore certe compositorum parte secuti sunt: id quod exemplis demonstrare vix videtur opus esse. Huius generis est primum magna illa turba eorum, quorum prior pars continet nomen *secundae declinationis*, ut *ἀργυρό-τοξος, ἀγκυλό-τοξος, χαλκο-χίτων, ῥοδο-δάκτυλος, ἀκρό-κομος, σιτο-φάγος, ἰσο-φόρος, κακο-εργός* cet. Deinde *primae declinationis* themata continentur his: *αἰθρη-γενής, βοη-θόος, βουλη-φόρος, γαιή-οχος, μελή-φατος, πυλα-ωρός* al.; *tertiae* themata vel *in vocales ιυ desinentia*: *πτολί-πορθος, αὐτο-βοώτης, βαθυ-λήιος, ὠκύ-ροος* alia, vel *in consonam exeuntia*: *σακεσ-φόρος, ἐγχέσ-παλος, ὀρεσ-κῷος, τελεσ-φόρος, σακέσ-παλος, πυρ-φόρος, μελάγ-χολος, μελάμ-πεπλος, παν-δόκος, πύγ-μαχος.*

Sed non pauca vocabula ab hac regula videntur aliena esse. Nam ut *primae* declinationis nomina multa in compositorum partibus prioribus *vocalem thematis finalem* α (vel η) *mutant in* ο, et secundae ο in η, et tertiae declinationis vel maior pars, quum componuntur, aut *thematis exitum commutat cum* ο vel η, aut themati integro

adiungit *o*, vel *ι*. Hac ratione ficta sunt v. c. ἀελλό-πους, ὑλο-νόμος (ἄελλα, ὕλη); ἐλαφη-βόλος, θαλαμη-πόλος (ἔλαφος, θάλαμος) et translato hoc *η* etiam in tertiae declinationis vocabula θυη-φάγος, ξιφη-φόρος (a thematibus θυες, ξιφες) al.; deinde ἀνθο-νόμος, ἑλκο-ποιός, θυο-σκόος, ξιφο-κτόνος (a thematibus ἀνθες, ἑλκες, θυες, ξιφες); ἀνδρ-ό-κμητος, ἁρματ-ο-πηγός, δορυ-ο-δόκη, ἠερ-ο-ειδής, πολι-ό-οχος (πολιοῦχος), δακρυ-ο-πετής al.; denique νυκτ-ί-πλαγκτος, πυρ-ι-ήκης, αἰγ-ί-βοτος, ἀλγες-ί-θυμος, ἐγχες-ί-μωρος, ὀρες-ί-τροφος al.

Haec olim moverunt viros doctos, ut cogitarent de vocalibus quibusdam nominum compositorum propriis, quas **coniunctivas**, **bindevocale**, vel **compositivas**, **compositionsvocale** appellabant, coniungendorum nominum causa inventis. Haec erat **Grimmii**, **Buttmanni**, **Boppii** (Vgl. Gr. § 967.) sententia atque etiam in **Kühneri** grammatica nuper denuo edita eam deprehendi. Etiam **Iustius**, qui ad quaestionem de compositis conficiendam tantum attulerit, huic vocali compositivae adhuc satis amplum spatium concedit. Sed nuper **Roedigerus** accuratius in harum vocalium naturam inquirens tenebras illas, quibus adhuc earum origo obtecta erat, discutere coepit, maximamque earum partem plane alio quam illi existimaverant munere fungi ostendit, et post hunc novissimo tempore **Herzogius** et **G. Meyerus** ultra etiam progressi nullam omnino vocalem compositivam esse demonstrare conati sunt. Tamen non desunt, qui his refragentur, inter quos primo loco nominandus **Gull. Clemmius**, qui de compositis a verbali parte incipientibus accurate et copiose disputans, multum etiam nunc illis vocalibus compositivis tribuit. Iam quae videatur rei summa esse, ostendamus.

Qui illius vocalis compositivae causam susceperunt, eam sic definiunt [1]), ut inter vocabula componenda **consonantium durioris concursus evitandi causa** vocalem aliquam insertam esse dicant. Sed hoc munere in paucis tantum pro rata parte vocabulis opus erat. Quae enim soni asperitas evi-

[1]) nam Grimmii sententia (D. Gr. II[1], 410—426), qui hanc vocalem pro signo ipso et proprietate omnis genuinae compositionis habet, iam satis refutata est a Boppio (Vocalismus p. 132, Vgl. Gr. § 969), nec iam inveniet qui eam tueatur.

tanda erat in *μουσα-μήτωρ* vel *ὑλη-τόμος*, ut necesse esset *μουσομήτωρ* et *ὑλοτόμος* dicere? Quibus in vocabulis consonarum concursus omnino nullus fit, tamen inesse vocalem coniunctivam vel Clemmius (p. 128) affirmat. Sed etiam in illis compositis, quorum altera pars consonanti clauditur, altera incipit consonanti, rarius ea est consonarum natura, ut nulla vocali interposita difficiliores fuerint pronuntiatu, praesertim quum Graecae linguae non tam delicatae fuerint, ut vel durioге consonantium concursu offenderentur, quamque non defuerint illis rationes consonis assimilandis soni asperitatem mitigandi. Romanis quidem certe multa, quae Graecis oribus et auribus usitatissima erant, initio durius sonuisse, intelligimus ex mutationibus, quas subire Graeca vocabula necesse erat, quum in Romanae linguae civitatem reciperentur, linguae vulgaris dico et vetustioris, priusquam didicerant Romani Graeca lingua tanquam altera quadam vernacula uti. Cuius generis sunt illa: *Hercules, mina, drachuma, techina*, al.

Graecos igitur a nimio mollitiei studio alienos fuisse constat, eosque nec in compositis consonantium congressum auxivisse discimus talibus: *ἐγχέσ-παλος, ὀρεσ-κῷος, τελεσ-φόρος, πυρ-καϊά, πυρ-πολέω, μελάγ-κερως*. Vides certe post themata in *σ ν ρ* vocali ad mitigandum concursum inserenda non opus fuisse. Nempe praecipue liquidarum et nasalium ea est natura, ut cum mutis vel sequentibus vel antecedentibus arctiore quodam vinculo colligentur, id quod in causa fuisse videtur, cur mutae cum liquida concursus non faceret positionem. Nam liquidae propter ipsam naturam mobilem et mollem facile ad alias consonas sese accommodant iisque arctius inhaerent, ut una enuntiari sine ulla molestia possint. Quam ob rem mutas cum liquidis coniunctas saepissime deprehendas in vocabulis Graecis: quae vero *μπ μβ γκ γγ γχ ντ νθ, πν κν γν χν γμ χμ, πρ κρ* cet. in mediis vocibus simplicibus sine ulla difficultate pronuntiarentur, cur in commissura compositorum fuissent vitanda? Itaque non restat nisi duarum mutarum congressus, qui videri possit propter soni asperitatem vocalem coniunctivam sibi deposcere, quamquam etiam ex his una coniungendi ratio Graecis tolerabilior visa est, eam dico, qua dentalis post aliam mutam posita est, quum dicerent *κτᾶσθαι, ἀκτή, λεπτός*,

ῥάβδος, alia id genus. Neque ceteras mutarum coniunctiones plane vitatas esse testimonio sunt v. c. λακπατεῖν a Pherecrate, λακπάτητος a Sophocle usurpata.

In longe maxima igitur parte eorum vocabulorum, quae vocalis compositivae ope ficta esse dicuntur, certe ad mitigandum consonarum concursum vocali interponenda opus non fuit. Et si fuisset, unde tandem putabimus tantam in commissura compositorum varietatem vocalium α ο η ι extitisse? Si omnibus illis vocibus eadem causa fuit vocalis interponendae, cur non in omnibus eadem vocalis adhibita est? Quid tandem causae fuit, cur voces primae declinationis saepissime reciperent ο, interdum ι (θαλασσίγονος), voces secundae η vel ι, voces tertiae vel ο vel η vel ι? Metri causa certe haec fieri non potuerunt, quum metro, si quid ad immutandas vocales valuit, nihil nisi aut productio aut correptio vocalis effici posset. Ab aurium autem voluptate et euphoniae praeceptis huius rei causam repeti non posse, ipse Clemmius, vocalis compositivae patronus inprimis studiosus, concedit (p. 130 sqq.).

Multo maioris autem momenti est, quod linguarum comparatione edocti sumus, a vocali pronuntiationis tantum commodioris causa inserenda abhorrere linguas adhuc pollentes ac vividas, idque non esse nisi devergentium ad senectutem. Linguarum enim eadem condicio est quae hominum, ut senescentes fiant inertiores et fugiant enuntiandi molestiam. Sed quo quaeque lingua est validior et iuvenilior, eo magis respuit hanc organorum inertiam. Quam ob rem, ut concedamus, posteriore tempore et adulta lingua — quanquam linguam Graecam omni tempore ab huiusmodi inertia alienam fuisse scimus — talia fieri potuisse, non poterant fieri priscis illis temporibus, quibus componendi leges, quae postea valuerunt, iuventae sunt. Et adiumento est huic sententiae, quod etiam in aliis linguae commentis, in quibus vocalem coniungendi causa insertam veteris disciplinae grammatici putaverunt, plane diversa huius vocalis origo recentiorum grammaticorum ad cognatas linguas respicientium opera intellecta est, praecipue in verborum coniugatione, cuius vocalem illam coniunctivam nihil nisi thematis

exitum esse argute ostenderunt Schleicher Comp.² 750, Steinthal Typen p. 191, Curtius Chronol. 221 sqq.[1])

Denique accedit gravissimum hoc, quod maxima horum compositorum pars aliam illius vocalis originem aut manifesto redolet, aut certe non respuit. Quae quum accuratius explicanda sint, singulas vocales examinare necesse est.

1. De *o* vocali in commissura compositorum.

Ad explicandam *o* vocalem thematibus primae et tertiae declinationis aut altro adiectam aut in genuinae terminationis locum suppositam mihi quidem maximi momenti videtur esse hoc, quod permagna omnium compositorum Graecorum pars a nominibus secundae declinationis incipit, ideoque legitime vocalem *o* in commissura habet. Apud Homerum ex 307 compositis 85 priore parte continent nomen secundae declinationis in *ο* desinens, apud Pindarum ex 207 69, apud Aeschylum ex 349 109; cf. Herzog in Jahrbb. f. Phil. u. Paed. 1871, p. 295 sqq., Unters. über d. Bildungsgesch. d. Gr. u. Lat. p. 68. Iam quum homines tot vocabulorum compositorum priores partes viderent in *o* desinere, quam formam extra compositionis vinculum non nossent, facile fieri poterat, ut hoc *o* putarent omnis compositionis esse proprium, et etiam thematibus in consonam vel leviores *ι* et *υ* vocales desinentibus adiungerent *ο*, in thematibus primae declinationis pro genuina *α* vocali, in thematibus *ες* syllaba finitis pro *ες* syllaba substituerent. Dicet quispiam: quid? tunc homines illos vocabulorum compositores, quorum in numero praestantissima Graeciae ingenia fuerunt, tam hebetes fuisse putas, ut eos fugeret, illas compositorum partes priores in *o* desinentes non petitas esse nisi a vocibus secundae declinationis, utque penitus inconsiderate pravam analogiam sequerentur? Non equidem. Sed primum vocabula hunc in modum ad falsae analogiae regulam composita illis iam priscis temporibus fingi coepta esse contendo, quibus etiamnunc aequaliora erant inter se ingenia necdum elucebant homines tam egregio animi acumine praediti, quales extitisse inde ab Ho-

[1]) Diversa est Boppii sententia Vgl. Gr. § 366.

meri temporibus scimus[1]), ita ut poetae et scriptores Graeci, quorum nobis restant opera, iam a maioribus accepissent composita illum in modum prave conficta, eamque ob causam illius o naturam non iam possent facile intelligere.

Deinde illos priscos vocabulorum compositores etiam aliud quid impulit, ut a recta via aberrarent. Bene enim Gustav Meyeras monuit, multorum nominum duo vel plura themata extare, eodemque tempore, quin etiam ab eisdem scriptoribus usurpari, ut eadem vox modo primam, modo secundam, aut modo primam vel secundam, modo tertiam sequatur declinationem: quarum vocum exempla permulta heteroclitorum, abundantium, metaplastorum nomine contulerunt Buttm. Ausf. Spr. § 56, Kühner Ausf. Gr.[2] I. 387 sqq. Itaque primum multorum vocabulorum stirpes extant et in *η* et in *ο* desinentes: *θάλαμο θαλάμη, λόφο λόφη, πέτρο πέτρη* alia (quae videas apud G. Meyerum p. 68); themata in *ες* et in *α* vel *η* ab eadem radice derivata: *αἶθες αἶθο, ἄνθες ἄνθη, βλάβες βλάβη, δένδρες δένδρο, θάμβες θάμβο* al. (Meyer p. 67); themata in *ματ, μαν (μον), μο, μη* alternantia: *βαδισμό βάδισμαν, γνώμη γνῶματ, μνήμη μνῆματ, φλέγματ φλεγμάν-jω φλεγμον-ή* cet. (p. 64). Themata in *κ* et *κο, κη*: *φύλακ φύλακο, ἄλκ ἀλκή, γλαύκ γλαυκό, ἕλικ ἑλίκη, ἰώκ ἰωκή, οἰκ (οἴκαδε) οἶκο, πύκ πυκνό* al. Themata in *γ* et *γη*; *ἅρπαγ ἁρπαγή, πήγ πηγή* al.; in *χ* et *χη, χο*: *πτύχ πτυχή, στίχ στίχο, ψύχ ψύχη*. Thematum labialium *γρύπ γρυπό, ὤπ* et *ὠπή* (*θέραπ θεράπον* Buttm. p. 212); dentalium *δαίτ* et *δαίτη, κλάδ κλάδο, κνίδ κνίδη, κρίθ κριθή*. Horum utra prius nata sint Meyerus se non esse diiudicaturum confirmat: certe multa iam a linguae initiis duplici stirpe usa esse, multa pridem vocali terminata deinde amisisse vocalem et transiisse in analogiam consonanti terminatorum (p. 69), alia, praecipue lingua iam adulta et senescente, quum antea

---

[1]) nam hoc fuisse illorum temporum, quibus nulla alia etiam tum erat poesis quam epica illa, quam nos „volkspoesie" vocamus, proprium, in Graecia igitur temporis ante Homerum, ut tanta ingeniorum diversitas, quanta eruditiore aetate nasci solet, non extaret, egregie demonstravit Steinthalius in disputatione „Ueber das volksepos", Zschr. f. Völkerps. X.

nonnisi consonanti finita fuissent, assumpsisse vocalem, stirpium vocali terminatarum analogiam secuta: id quod in aliis quoque linguis, Latina inprimis, factum sit. Quin etiam in singulis casibus hoc studium vocalium asciscendarum vicisse, praecipue in dativo et genitivo dualis, quorum terminationem *οιν* secundae declinationi propriam arripuerint etiam vocabula tertiae declinationis omnia (p. 74). Etiam in dativo pluralis nonnunquam id factum esse; iam apud Homerum semel: *κοτυληδονόφιν*, saepe in inscriptionibus Delphicis (de quibus conferas Curtium in Ber. d. Sächs. Ges. d. W., phil. hist. cl. XVI, 223 f.): *ἐν ἄνδροις τρίοις, ἐν ἐτέοις δεκατρίοις, ὄντοις, ἐόντοις* al.; sparsim in aliis quoque dialectis (p. 75, cf. Kühner p. 401). Addere poterat notissima illa Atticae dialecti propria: *Σωκράτην, Δημοσθένην* alia id gen., ad idem studium ut mihi videtur revocanda.

Iam quum in compositis saepe prioris membri vocalis finalis mutetur in *ο*, vel consona finalis sibi adiungat *ο*, hic quoque Meyerus sibi deprehendere videtur illam thematum varietatem, et in his compositis superesse contendit themata in *ο* desinentia, quae quondam sui iuris fuerint et in simplicibus quoque nominibus nobis non relictis sint usurpata. Ita p. 66 de stirpibus in *ματ* fusius se disputasse dicit „weil sich daran sehr schlagend zeigt, wie oft mehrfache nominalthemen, die durch anhängung verschiedener verwanter oder einst identischer suffixe entstanden sind, grade in zusammensetzungen sich zeigen, während sie in isolirtem gebrauche nicht mehr vorhanden sind", et p. 77 sua non interesse ait „für jeden einzelnen fall die priorität des vocalischen oder consonantischen themas zu bestimmen, sondern überhaupt das nebeneinanderstehen der beiden zu constatiren." Itaque e. g. *τριχόβρως τριχο-φορέω* a vocabulo quodam *τρίχος* secundae declinationis, olim iuxta *θρίξ* posteris solum relictum usurpato petita esse censet, eodemque modo *σαρκο-ειδής, νιφοβόλος, γλακτο-φάγος, δᾳδο-φόρος, φρενο-βλαβής* ad voces abolitas *σαρκος* vel *σαρκη, νιφος, γλακτον, δᾳδη, φρενος* vel similes quasdam revocat.

Sed haec affirmans ipse secum pugnat. Nam p. 70 de simplicibus nominibus duplici stirpe utentibus dicit haec: „Trotz-

dem wird man immer in derartigen fällen mit der annahme der priorität des vocalischen themas vorsichtig sein müssen. Denn nicht minder sicher als die neigung der sprachen vollere formen zu verkürzen . . . steht der hang der sprachen, der mit dem abwärtsgehen ihrer entwickelung immer mehr hervortritt, consonantisch auslautende stämme mit einem vocal zu erweitern und so ihren übergang in die vocalische declination herbeizuführen. Wir sind auch dieser erscheinung in grosser ausdehnung bereits oben (p. 11 sqq.) auf dem boden des lateinischen begegnet; auch für das griechische lässt sie sich mit bestimmtheit nachweisen. Was dort die i declination war, ist hier die o-declination. Der grund dieser erscheinung liegt in einer im sprachbewusstsein sich allmählig heransbildenden analogie, die herbeigeführt war durch die überwiegende menge der vocalisch auslautenden nomina". Rectissime haec quidem. Sed quid tandem impulit virum doctum, ut hanc libertatem analogiae falsae sequendae simplicibus tantum concederet, negaret compositis? Stirpes consonanti terminatae si in nominibus simplicibus analogiam stirpium legitime in vocalem desinentium prave sequentes assumpserunt vocalem, quidni in nominibus compositis idem facere potuerunt? Itaque, ut mihi videtur, non necesse est putare, stirpes vocali auctas in priore compositorum membro, priusquam ad componendum adhibitae sint, nominum simplicium munere functas esse, et ab his nominibus simplicibus demum composita esse propagata: mihi potius sic factum esse videtur, ut stirpes in consonam (vel ι υ vocales) desinentes, quoties ad composita fingenda adhibebantur, assumerent ο vocalem, secutae analogiam non tam simplicium vocali terminatorum quam compositorum a stirpibus legitimo ο vocali terminatis incipientium, quorum tanta erat multitudo, ut omnium maxime viderentur esse legitima; qua de re supra iam dixi p. 6. Ut exemplo utar, τριχό-βρως mihi non a stirpe nescio qua τριχο petitum videtur, sed ab ipsa stirpe nota et usitata τριχ, quae tamen, ubi ad compositum fingendum adhibita est, ad analogiam compositorum πυργο-δαΐκτης, ἀνεμο-σκεπής, ὁμο-γέρων cet. mutata est et o vocalem assumpsit. Idemque in ceteris id genus compositis paene omnibus factum esse puto.

Haec sententia et probabilis est neque ullam habet diffi-

cultatem. Contra ea explicatio, quam excogitavit G. Meyerus, neque necessaria est, quum nulla re cogamur, ut hac ipsa ratione rem factam esse credamus, et non mediocribus difficultatibus laborat.

Primum nomina simplicia illius generis, themate per vocalem o aucto utentia, qualia olim in usu fuisse et ad composita fingenda potissimum adhibita esse G. Meyerus existimat, pro permagna multitudine compositorum a stirpibus auctis incipientium paucissima tantum nobis sunt servata, ea scilicet, quae heteroclita, abundantia, metaplasta appellata in grammaticis enumerari supra p. 7. commemoravi; longe maxima pars nisi in ipsis his compositis nullum sui vestigium reliquit. Et omnia quidem Graecae linguae vocabula paucis illis quae nobis supersunt poetarum et scriptorum operibus servata esse haud scio an prudens affirmaverit nemo. Sed, quae est compositorum natura, longe maxima pars eum omnium compositorum tum eorum, de quibus nunc quaeritur, ab ipsis illis scriptoribus ficta est, apud quos primos legitur, a Pindaro, Aeschylo, Sophocle et qui sequuntur, itaque nata est iis temporibus, quibus litterae Graecae iam floruerunt, et permulta opera cum versibus tum pedestri sermone scripta sunt, nobis quidem non servata, sed servata posteriori Graecitati, Alexandrinae inprimis aetati. Atqui non probabile est, illos vocabulorum compositores ad composita fingenda studio quodam adhibito sibi conquisisse voces raras et abolitas, vel vulgaris tantum sermonis dialective alienius proprias; hoc Alexandrinorum fuit, et priorum, quod sciamus, unus Antimachus fecit: ceteri bonae aetatis poetae interdum quidem vocabulis raris et conquisitis usi sunt, ut dignitatem et decus adderent orationi, praecipue Aeschylus et Pindarus, sed talia pro tota verborum adhibitorum copia admodum rara sunt, et longe maxima vocabulorum pars sumpta est ex communi hominum eruditorum sermone sive ionico, sive attico, sive aeolico, eius denique dialecti, qua quisque scriptor usus est. Iam si ad illa nomina composita fingenda, ut G. Meyerus censet, adhibita sunt nomina simplicia stirpe per vocalem amplificata utentia, haec nomina simplicia eo tempore, quo nata sunt illa composita, revera extitisse opus est. Nisi enim extitissent, unde tandem ea sumpsissent compositores? Si vero extiterunt, ex iis, quae modo

exposuimus, sequitur, maximam certe eorum partem non fuisse vocabula rara et abolita, sed erudito sermone usitata et omnium hominum litteratorum communia. Itaque tuo iure exspectaveris, hos homines illis vocibus etsi non omnibus, tamen plerisque etiam in scribendo usos esse. Tamen nobis nullum vestigium restat, neque in eis operibus, quae nobis servata sunt, neque in posteriorum operibus grammaticis, lexicis, florilegiis, quibus alia multa et ea maxime, quae a vulgata posteriorum dictione aliena erant, ex operibus amissis sunt servata. Tantam autem vocabulorum multitudinem nullo plane vestigio relicto intercidisse probabile non est, et inprimis mirum est, grammaticos eorum mentionem nullam fecisse.

Itaque, etsi non nulla eius modi simplicia extitisse negari nequit, tamen omnia composita a stirpibus amplificatis incipientia a nominibus simplicibus eius generis petita esse, probabile non est.

Sed dicet quispiam: „non rectum est quod tu proposuisti: illa enim simplicia eo tempore, quo compositum quodlibet ab iis incipiens fictum est, etiam extitisse non necesse est, dummodo antea iam alia composita ab eodem simplici eadem forma incipientia extiterint." Recte ille quidem. Certe ubi primum forma aliqua ad componendum adhibita est, posteri eadem forma ad alia composita fingenda uti potuerunt, etiamsi ipsa nisi in illo composito non amplius extaret. Sed in usu fuisse, simplicisque munere revera functam esse ex Meyeri sententia unamquamque stirpem amplificatam oportet eo tempore, quo primum omnino compositum ab ea incipiens fictum est. Atqui non probabile est, id quod supra demonstrasse mihi videor, illa simplicia lyricorum vel tragicorum tempore vel posteriore etiam adhuc extitisse: si enim tunc in usu fuissent, fieri vix potuit, ut nulla vestigia nobis relinquerentur. Quae igitur composita his temporibus primis inveniuntur a themate quodam amplificato incipientia antea i. e. apud Homerum vel Hesiodum non conspicuo, ea a simplice quodam nomine tum etiam usitato petita esse non veri est simile. Horum autem compositorum permagnus est numerus. Pindarus viginti septem id genus composita habet, quibus septendecim themata per *o* vocalem aucta vel in fine mutata insunt. Horum thematum octo tantum iam ab Homero usurpata sunt,

unum ab Hesiodo, octo apud Pindarum primum leguntur: ἀνδριαντο, ἀσπιδο, Ἑλλανο, λεοντο, οἰακο, [ὀπιθο], ὀρνιχο, πολια. Aeschylus in centum et octo eius generis compositis quinquaginta octo themata exhibet, quorum quattuordecim tantum iam apud Homerum: αἱμο, ἀνδρο, ἁρματο, ἑλειο[1], θνη, κεντο, μελανο, μητρο, παιδο, παντο, πατρο, [πεντηκοντο?], ποδο, φοινικο, unum χειρο apud Hesiodum usurpatum est, triginta sex Aeschylus primus habet: αἱματο (αἱματη), αἰνιγματο, ἀνθο, [ἀπτερυγο], ἀρσενο, γελωτο, γυναικο, δειματο, δελφινο, ἑλκο, ἐναρο, κρεισσο[2]), κρεα, λαμπαδη, λαμπτηρο, Λητο[3]), μελο, ὀμματο, ὀρο, πολιο, πολισσο, [προσθο], πυθο, σηματο, σκηνο[4]), στημο[5]), σωματο, τριχο, ὑδρο[6]), φρενο, χαριτο, χειμωνο, χερο, χθονο, χιονο, χρηματο. Sophocles in quadraginta septem compositis undetriginta themata habet, quorum novem iam apud Homerum: αἰθηρο, ἀνδρο, θηρο, θνη, κεντο, μητρο, παιδο, παντο, πατρο, tria apud Hesiodum: γηρο, κερατο, χειρο, septem nova: ἀγωνο, αἰδο, δορο, ἑρμηνο, ζευγο, κωδωνο, ῥιφο (sed apud Homerum ῥιφάσπ.). Herodoti triginta novem id genus composita sunt, quibus undetriginta themata continentur: apud Homerum iam sunt septem: ἀνδρο, γαλακτο, μητρο, παιδο, παντο, πατρο, ποδο, apud Hesiodum χειρο, nova tredecim: ἀγαλματο, αἰγο, ἀχθο, ἐπο, θωρηκο, ἰχθυο, κνημιδο, νικο, νεκρο, [ὀπισθο], σαρκο, τειχο, ψηφιδο. Itaque si summam facimus, in horum quattuor scriptorum compositis viginti tantum themata eius generis, de quo

[1]) Hoc ἑλειο in ἑλειοβάτης haud scio an idem sit atque Homeri ἑλεο in ἑλεόθρεπτος. Nam hoc mihi videtur natum ex ἑλεσ-ο-θρεπτος, a themate ἑλες ductum et antiquioris fortasse componendi rationis testimonium; cuius originis nescius Aeschylus, ἑλεο pro adiectivo habens, in ἑλειο vocem mutavit.

[2]) (Sept. 765), nisi rectius cum Hermanno κρεισσοτέκνων legendum.

[3]) tertiae declinationis voces in ῶ cum ceteris enumerare licet, quanquam de vera earum stirpe nondum constat.

[4]) quod et a σκῆνος, -ους, et a σκηνή petitum esse potest.

[5]) nisi στημορραγέω rectius e στημον-ραγέω natum putaveris.

[6]) In Batrachomyomachia quidem sunt Ὑδρομέδουσα et Ὑδρόχαρις, quum vero de huius carminis aetate et integritate adhuc acerrime dissentiant viri docti, has voces in nostrum usum vertere non possumus.

nunc quaeritur, insunt, quae Homerus iam adhibuit: sexaginta quattuor, quae apud Homerum (et Hesiodum) nondum sunt. Apud ceteros scriptores, Euripidem, Aristophanem, Thucydidem, Demosthenem alios permulta alia exstare, quae Homeri nondum sunt, apparet. Ergo longe maxima omnium id genus compositorum pars a stirpibus sui iuris incipere non potest.

Restant igitur non nisi composita Homerica et Hesiodea, quae a nominibus simplicibus stirpe amplificata utentibus petita esse possint. Et Homerus quidem triginta tria id genus themata in initio compositorum habet: ἀθηρη, αἱμο, ἀκμο (nisi ἀκμόθετον ex ἀκμον-θετον factum), ἁλιο, ἡλο, ἀνδρο, ἁρματο, γλακτο, δουρο, ἱερο, ἑλεο, ἑλικο, ἡρο, θεμιστο, θηρο, θυο, κεραο, κλεο, κυμο, κυνο (κυνα), μελανο, μενο, μητρο, παιδο, παντο, πατρο, Πελοπο h., [πεντηκοντο], ποδα, ὑδατο, ἑλικο, φοινικο, χαρμο h. Hesiodus habet tredecim, quorum apud Homerum nondum sunt γηρο, γουνο, κερατο, νηλεο, χειρο. Haec igitur octo et triginta themata cum quadam verisimilitudinis specie dixeris sui iuris fuisse et nominum simplicium munere fungi potuisse. Quum vero posteriore tempore tot themata per analogiae vim ad vocalem assumendam permota esse viderimus, vix credi potest, Homeri aetate illam vim nullam fuisse: quin etiam, ut mihi videtur, per omne tempus fuit maxima. Sed utut id est, certiora de illo prisco aevo vix poterunt erui, quum desint testimonia. Potuisse illo tempore multa vocabula simplicia stirpe in ο vel α vocalem desinenti uti, quae postea non sequuntur nisi tertiam declinationem, non nego; immo ingenue fateor et post Homerum quoque eius modi voces extare potuisse haud ita paucas, quarum nobis vestigium nullum relictum est, et in ipsis compositis multa servata esse, quae extra hos complexus iam diu erant abolita; ut in πολισσονόμος et πολισσοῦχος inesse thema πολισσο vocabuli simplicis quondam usitati πόλισσα vel πόλισσον persuasum habeo, et in λυκηγενής et Λυκαβηττός vocis abolitae λύκη vestigium servatum esse puto. Lucentissimum eius rei testimonium sunt composita a νιφο incipientia haud pauca, a Sophocle inde usitata, quum vocis simplicis νίφ non restet nisi νίφα in uno loco Hesiodeo op. 533. Itaque Meyeri sententiam non omnino reiicio: sed omnia composita ο vocalem in commissura as-

sumentia ut hoc modo explicanda censeam, tantum abest, ut parvam tantum eorum partem ita fictam esse contendam.

Praeter eas quas adhuc attuli, aliam etiam causam Meyerus ad sententiam suam comprobandam adhibuit. Nempe etiam in fine compositorum permulta themata in consonantem desinentia assumunt vocalem, ut *εὐ-άρματ-ο-ς, ἀ-χείματ-ο-ς, ἀγχί-αλ-ο-ς, ζά-πυρ-ο-ς* alia. Huius rei causam eandem esse putat atque vocalis *o* in commissura assumptae; etiam in fine compositorum adhiberi eadem themata per vocalem aucta integra et sui iuris, quae in initio compositorum posita sint. „Alle die verschiedenen formen der in rede stehenden nomina erscheinen wie im ersten so im zweiten teile, und wie wir nicht umhin können, in dem *o* von *βρισ-άρματα* einen integrierenden bestandteil des zweiten wortstammes zu erkennen, eben so wenig dürfen wir es in *ἁρματο-πηγό* von *ἁρματ* losreissen und als phonetisch eingeschobenen hilfsvocal betrachten" (p. 66). Ex his igitur compositorum partibus posterioribus permagnum opinionis suae petit auxilium. Attamen vehementer vereor, ne similitudine formae deceptus, quid inter utrumque intersit, non animadverterit. Primum huic eius sententiae refragatur, quod, quantum nunc video, apud posteros haec stirpium vocali amplificandarum ratio in dies magis usu recipiebatur, illo tempore, quo has stirpes sui iuris esse non potuisse supra demonstratum est. Itaque v. c. stirpium tenui dentali finitarum (praeter eas in *ματ*) apud Homerum duo tantum exitum mutant, *πειρατ : ἀ-πειρέσ-ιος, ἀ-πείρων, πολυ-πείρων*, et *κάρητ : ἀμφι-καρής, -ές* (ρ 231 in loco desperato): multo plures mutatas invenias apud Aeschylum: *ἀπ-έρωτ-ος, ἀ-θέμιστ-ος, ἄ-δαιτ-ος, λαγο-δαίτ-ης* (?), *ἀ-γάλακτ-ος, ἀωρό-νυκτ-ος, ἀ-πείρων, ἀ-πέρατ-ος*. Quid quod stirpes in *ματ* desinentes apud Homerum in fine compositorum nunquam sibi adiungunt *o* — in hymno 7, 1 uno legitur vocativus *βρισάρματε* —, sed semper mutant *ματ* in *μον* vel *μο*; saepissime autem voces in *ματος* finxerunt posteri: Pindarus *ἀρισθάρματος, εὐάρματος, χαλκάρματος, χρυσάρματος, ὀμφάρματος, φιλάρματος*, Aeschylus *ἀναίματος, φιλαίματος, ἀποχρήματος, ἀχρήματος, ἀχείματος, τρισώματος, μονόμματος, δυσόμματος*? Mirum deinde hoc, quod apud Homerum in *μον* non exeunt nisi quibus antecedit syllaba vo-

calem longam continens: (ἀν-, ἀνδρ-, εὐ-)αιμον, (ἀν-, κακο-)ειμον, (ἀ-)νοημον, (ἀ-, πολυ-)κτημον, (ἀ-, πολυ-)πημον, (πολυ-)πημον, (φιλο-)πραγμον: in μο nisi quibus antecedit vocalis brevis: (ἀν-, δυσ-, ἰσ-, Κλυτ-, εὐ-, ὁμ-, πολυ-)ωνυμο, (φειδο-)στομο B., (ἀ-)σπερμο, excepto uno (ἀρι-)σημο, quod haud scio an a σημαίνω potius repetitum sit.[1]) Itaque ad hanc vel illam stirpis terminationem praeferendam multum videtur attulisse euphoniae cura. Denique illam stirpis mutationem non factam esse videmus, nisi in compositis **adiectivis**[2]) substantivum parte posteriore continentibus, in quibus significatione posterioris membri mutata non sine causa videtur etiam terminatio mutata esse. Et ea quidem re ipsa inesse mihi videtur aptissima omnis huius mutationis explicatio. Substantiva enim illa in fine compositorum adhibita quum totius compositi notionem adiectivam terminatione significare deberent, saepe necesse erat, pro genuina terminatione substituere terminationem adiectivalem, saepe non necesse quidem, attamen gratum et acceptum ad novum vocabulorum genus notandum. Eamque mutationem pro rei natura minime perpessae sunt eae stirpes quae stirpibus adiectivorum vel participiorum aut plane parem aut similem exitum habent, id est stirpes nasales et dentales. Praesertim stirpes in ντ desinentes in priore quidem compositorum parte saepe assumunt ο, cuius rei exempla videas apud Meyerum p. 81; in posteriore nunquam, certe neque Meyerus talium compositorum quidquam affert, neque ego ullum inveni. Hoc mihi videtur sententiae meae optimum esse argumentum. Itaque mutationis causam existimo positam esse in **hominum studio, composita adiectivorum significatione utentia etiam forma adiectivis quam simillima faciendi.** De hac re plane consentio cum Iustio, qui eam accuratius tractavit p. 50. 51.

[1]) Nam talia compositorum membra posteriora etiam a verbis derivata propagata esse, in dissertatione de posteriore compositorum parte alio quodam tempore edenda uberius demonstrabo.

[2]) Pauca enim quae sunt eius generis substantiva initio adiectiva fuisse apparet, ut στενωπός proprie est, quod angustum aditum habet; itaque priore tempore dicebatur στενωπὸς ὁδὸς vel τόπος, et deinde omisso ὁδὸς solum στενωπός.

De hac igitur Meyeri sententia plane idem sentio, quod de illa: non nullorum vocabulorum compositorum partes posteriores a nominibus simplicibus stirpe amplificata utentibus petitas esse probabile est, sed quaenam illa simplicia fuerint, nescimus. Errare autem Meyerus videtur, quae in singulis facta sunt ea in omnibus facta esse existimans. Hoc enim disputatione mea effectam esse mihi videtur, exiguam tantum partem thematum in consonantem desinentium illum in modum *o* adiecto mutatam esse ita, ut nova nomina simplicia existerent; longe maiorem igitur eorum compositorum partem, quae stirpi in consonantem desinenti *o* adiungunt vel pro genuina terminatione *o* supponunt, plane alia ratione natam esse atque Meyerus censet. Nihil autem obstat, quominus in his *o* falsae analogiae sequendae studio illatum putemus, eamque sententiam per se admodum probabilem esse, supra demonstravi.

Itaque duabus causis, ut saepe, idem effectum esse videtur. Denique accedit tertium. Vidimus supra (p. 4) Graecis consonantium concursum non ita molestum fuisse, nisi duarum mutarum. Atqui eorum compositorum, de quibus nunc quaeritur, magna pars eius modi est, ut thema priore loco positum in mutam desinat, thema posteriore loco positum incipiat a muta. Eius generis sunt apud Homerum *αἱμο-φόρυκτος* (pro *αἱματ*), *ἁρματ-ο-πηγός*, *γλακτ-ο-φάγος*, *ἑλικ-ο-βλέφαρος*, *θεμιστ-ο-πόλος*, *παιδ-ο-φόνος*, *παντ-ο-δαπός*, *ὑδατ-ο-τρεφής*, *φοινικ-ό-πάρῃος*. In his igitur vocibus *o* interiectum esse videtur, ut pronuntiationis molestia vitaretur. Hinc profectus, totius formationis originem hanc fere fuisse existimo:

Primo initio Graecae quoque linguae eandem legem fuisse atque Sanscritae, ut in componendo non adhiberetur nisi stirps mera, probabile est. Quum vero complurium vocabulorum bina themata essent, alterum in consonantem, alterum in vocalem desinens, ante vocalem illud, ante consonantem hoc adhibebatur. Itaque eiusdem vocabuli modo haec modo illa forma in compositis erat conspicua. Iam quum permagna compositorum pars a stirpibus in *o* (illo tempore etiamtum *a*) desinentibus inciperet, quumque non nullorum vocabulorum themata modo in *o* modo in aliam vocalem vel consonantem desinerent, cetera themata consonanti finita illorum analogiam in initio composito-

rum sequi coeperunt, et fortasse in iis compositis et primo et maxime, quorum prius membrum in mutam desiit, posterius a muta incepit. Deinde haec analogia tradueta est etiam in alia composita, eaque componendi ratio tam adamata est, ut posteriore tempore cuilibet stirpi in consonantem desinenti in compositis *o* vocalis adiiceretur.

Sed praeter has aliae etiam sunt causae *o* vocalis in nominum compositorum commissura frequentissime adhibitae.

Primum ad stirpes in *o* desinentes pro **stirpibus in** *ες* **desinentibus** substituendas etiam hoc magnopere impulisse puto, quod utrorumque nominum nominativus singularis *ος* syllaba terminatur; quod quanti momenti fuerit, testimonio est grammaticorum Graecorum exemplum, qui quum de compositione loquuntur, secundae et tertiae declinationis substantiva in *ος* plane non discernunt, cf. quae Etymologicum Magnum habet s. v. *Θεῶ* (ap. Lob. ad Phryn. p. 647): *Τὰ εἰς ος ὀκταχῶς συντίθενται· ἢ γὰρ φυλάσσει τὸ σ, ὡς λαός, λαοσσόος, θεός, θεόσδοτος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ, ὡς τὸ τεῖχος, Νικόλεως, ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ προσλαμβάνει τὸ ι, ὡς τὸ Πέλος, πελογενής, ὁδοιπόρος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ τρέπει τὸ ο εἰς η, ἐλαφηβόλος, θεητόκος· ἢ ἀποβάλλει τὸ σ καὶ τρέπει τὸ ο εἰς ι, μένος, Μενέλεως* et q. sq. Quod si ne grammatici quidem fecerunt, quid factum esse putabimus a priscis hominibus, qui grammatices nullam omnino haberent notionem? Neque alia causa videntur effecti accusativi illi *Σωκράτην, Δημοσθένην*; quam quod nominativi *Σωκράτης, Δημοσθένης* eandem terminationem habent ac permulta primae declinationis substantiva, ut *πολίτης, Ὀρέστης, Ἀτρείδης* al.

Deinde quod saepe **nomina primae declinationis**, quum componuntur, pro *α* **vel** *η* **thematico substituunt o**, id mihi quidem non tam analogiae vi factum esse videtur (quae est Roedigeri sententia p. 21), quam harum vocum natura ipsa effectum. Nam et in lingua gothica stirpium femininarum *ô* (= scr. *â*, gr. *η*) finale, quum componuntur, corripitur in *a*: *môta-stadi (môtô), hveila-hvairb (hveilô), quina-kunda (quinôn)* (cf. Iusti p. 51; Leo Meyer, Die Goth. Sprache p. 166), et in slavica vetere idem fieri auctor est Iustius p. 38 fin., et in lingua sanscrita certis quibusdam condicionibus (quas videas

apud Iustium p. 34) in prioribus compositorum partibus pro feminina stirpe ponitur masculina. Quae quum ita sint, stirpium femininarum (quae initio a masculinis non differebant, nisi vocalis finalis productione) vocalem longam in compositorum parte priore correptam esse iam indogermanico quod vocant aevo veri simile est, vel, ut aliis nominibus utamur, pro stirpe feminina semper substitutam esse eiusdem vocis stirpem masculinam: nam ea est femininorum natura, ut semper a masculino quodam sint derivata adiecto suffixo femininali (feminina stirpium in *a* desinentium suffixo *a*, quod cum *a* thematico coaluit in *ā* gr. *η*). Eandem igitur legem etiam in Graeca lingua a primis inde incunabulis valuisse consentaneum est. Itaque femininorum primae declinationis vocalis thematica *ā* correpta est in *ă*, eo scilicet tempore, quo etiam secundae declinationis stirpes adhuc in *ă* vocalem desinebant; et ut horum *ă* paulatim mutatum est in *o*, sic etiam in illis factum est, eadem linguae lege phonetica, neque ulla analogiae vi (Roediger l. l.). Alia quaedam feminina retinuerunt *ā* longum, postea mutatum in *η*, quorum Homerica haec sunt: *βοηθόος, βουληφόρος, γαιήοχος, μελήφατος* et haud scio an *αἰθρηγενής*. Eiusque varietatis causa fortasse videri possit haec, quod Graeci eodem atque Indi modo non corripuerint vocales thematicas, nisi revera extaret stirps masculina quam possent substituere. Sed res valde dubia est et accuratiore eget quaestione, quae a nostro consilio nunc abest.

2. De *α* vocali in commissura compositorum.

Neque minus difficile videtur intellectu, quae sit causa, cur nonnulla vocabula et primae et secundae declinationis in initio compositorum retinuerint *α* non mutatum in *ο*; sed extant tamen eiusmodi vocabula, quae collegit Roediger p. 21: *Ἀλκαθόος, Ἀλκαμένης, Θεαγένης, λυκάβας, Λυκαβηττός, πυλαωρός*, quibus adiicienda etiam *νεαγενής*[1]), *Πολεμαγένης, Τιμαγένης*, deinde apud Platonem *χαλίνοις*, Xenophontes *δολιχαδρόμος μακραδρόμος* et quod in lapidibus scriptum est

[1]) Eurip. Iph. Aul. 1623: *τόνδε μόσχον νεαγενῆ*: tentatum a criticis: Herm. coni. *νεογενῆ*. Porsonus *εὐγενῆ*; Roediger p. 22. 25 corruptum putat ex *νεηγενής*.

σταδιαδρόμος, denique haud scio an Homerica *ἀκαλαρρείτης* et *καλαῦροψ* (pro *καλα-Fροπ*: Curt. Et.[3] 314). Itaque *α* servatum est maxime in nominibus propriis, in quibus formas vetustissimas saepe multo diutius servari quam in aliis vocibus notum est, deinde in quibusdam vocabulis perantiquis: *λυκάβας* a substantivo abolito *λύκη* petito, et *ἀκαλαρρείτης* ac *καλαῦροψ*, dubiae originis vocibus, quarum altera continere videtur adiectivum *ἀκαλός* abolitum (*ἀκαλόν· ἥσυχον, πρᾶον, μαλακόν* Hesych.: sed in versu quem affert Arist. Byz. s. v. *Παρθένιος*: *ὡς ἀκαλὰ προρέων ὡς ἁβρὴ παρθένος εἶσιν* voces *ἀκαλὰ προρέων* non videntur nisi ex Homeri *ἀκαλαρρείτης* ipso derivatae), altera nondum satis perspecta est: mihi nec Curtii (Et. 314), qui a *κάλως* funis repetit, nec Doederleinii interpretatio, qui ad *καλαός* adiectivum nescio quod abolitum revocat, probabilis videtur; potius *κᾶλον* quod in *καλάπους* est, etiam voce *καλαῦροψ* contineri putem, *α* vocali correpta.

In his igitur vocibus servata est antiqua vocalis thematicae forma *α*. Et eandem naturam esse puto *α* vocalis in vocibus *ποδά-νιπτρον*, *κυνά-μυια*, *αἰνά-μωρος*, quam idem esse censeo atque *ο* in *κυνοραϊστής* vel *κυνοθρασής*. Quum enim viderimus, illam vocalem compositivam *ο* nihil esse nisi vocalem finalem thematum secundae declinationis aliis thematibus substitutorum, consentaneum est, hanc vocalem, quo tempore stirpes secundae declinationis adhuc in *α* desinebant, ipsam quoque fuisse *α*, et quum illud legitimarum secundae declinationis stirpium *α* paulatim mutatum est in *ο*, etiam hoc quasi subditicium eandem mutationem esse perpessum. Itaque causa non est, cur cum Roedigero voces *κύνη* et *αἴνη* quondam extitisse putemus. Quod autem Gust. Meyer dicit, hoc *α* esse „eine mittelstufe zwischen *η* und *ο*, wie in *Ἀλκαθόος*, *Ἀλκαμένης*, *λυκάβας*, *Λυκαβηττόν*, *πελαργός*", id equidem me plane non intelligere fateor.

3. De *η* vocali in commissura compositorum.

Iam vero videamus, quomodo explicandum sit illud *η*, quod saepius in fine priorum membrorum secundae vel tertiae declinationis themata continentium conspicitur.

Atque primum quidem haec composita eorum, quae a vocabulis primae declinationis incipiunt, analogiam secuta esse, Herzogio (Jahrb. f. Ph. 1870, p. 296) concedere nullo modo possum. Exemplis enim ab ipso Herzogio collectis intelligimus, hoc η vel saepius in fine stirpium secundae et tertiae quam primae declinationis adhibitum esse, et illarum vocum, ad quarum analogiam ceteras fictas esse vir doctissimus censet, numerum apud Homerum quidem haud ita magnum esse: ad falsam autem analogiam sequendam homines pellici non possunt nisi permagna multitudine exemplorum, quae ad se trahant quodam modo cetera.

Nec tamen vero Meyero (p. 68), Roedigerove (p. 24) omnino assentiri possum, qui secundae declinationis voces femininas pristino tempore primam declinationem secutas esse censent, quia in multis adiectivis, quae postero tempore propriam feminini formam non habuerunt, apud Homerum etiamnunc tria genera discernuntur. Nam adiectivorum motio omnino, et apud poetas praecipue, admodum varia et inconstans est, et nominum femininorum secundae declinationis singulos casus ad primae declinationis analogiam etiam posteris temporibus fictos esse constat, ut genitivos νησάων, ψηφάων, de quibus videas quae egregie disputat Buttmannus Ausf. Gr. § 35, anm. 9, 2, § 56, anm. 6. Denique illa Roedigeri Meyerique sententia pugnat cum illo supra memorato more femininorum primae declinationis, ut in secundae formationem abeant. Quamquam non omnino nego, in uno alteroque horum compositorum servatam esse vetustiorem et primitivam formam, praesertim quum multa vocabula postero quoque tempore et primam et secundam declinationem sequantur, velut βιοτή et βίοτος, δρεπάνη et δρέπανον, ἑσπέρα et ἕσπερος, κοίτη et κοῖτος, ποθή et πόθος, φονή et φόνος et multa alia id genus, collecta a Kühnero, Ausf. Gr. I, p. 387 sq. Tamen hoc rem non expedit, praesertim quum non quadret in η illud stirpibus tertiae declinationis adiectum, ut ἀσπιδηφόρος, σταχυητόμος al.

Iam speciose Roedigerus p. 29 in multis horum vocabulorum inesse putat praepositionem ἤ, sanscr. â [1]) „cuius

---

[1]) In similem opinionem incidit Boeckhius, qui η illud in ἐπή-

praepositionis satis lato ambitu circumscripta est notio, quum generaliter et motum ad aliquem terminum tendentem significet et ab aliquo proficiscentem" Roed. l. l.), id quod, etsi stricte demonstrari nequit, eam ob causam non absonum videtur, quod illud η ante certa quaedam verba inprimis saepe occurrere solet, ita ut cum his arctius cohaerere videatur, in amplo scilicet numero eorum compositorum, quae desinunt in -ηβόλος, -ηγενής, -ηγενέτης, -ητόμος, -ητόκος et maxime omnium -ηφόρος: neque horum verborum significatio illi opinioni repugnat. Ante alia autem multa verba apud scriptores quidem vetustiores nunquam ponitur. Itaque dicitur quidem καλαθηφόρος, ἐλαφηβόλος, στεφανηφόρος, sed καλαθοποιός, ἐλαφοκτόνος, στεφανοπώλης. Sed scite idem Roediger monet p. 36, „Graecos, ab omni suspicione de vera huius η in commissura compositorum natura alienos, in horum compositorum formatione ad maximam partem non satis explicatae analogiae vestigia secutos esse". Cuius rei certissimum testimonium est maxima eius usus inconstantia, quum in eodem vocabulo, utut animus erat, η vel ο promiscue ponerent (cf. Lobeckium ad Phr. p. 651 sqq.), at θανατηφόρος et θανατοφόρος (Aesch. Ag. 1187), ψηφηφορεῖν et ψηφοφορεῖν al.

Sed accedit alia res, quae mihi quidem maximi momenti fuisse videtur, quod multa horum η debeatur metri necessitati poetarumque nec non prosaicorum studio distinguendi sermonis[1]). Quod vellem ne minoris fecissent recentiores qui de his compositis disputaverunt. Mihi ea de re magnopere arridet, quae censet Lobeckius, qui in Parergis ad Phr. p. 650 Apollonii loco ea de re allato: „Haec exempla, inquit, manifestum faciunt primum hoc, quod per se incurrit oculis, veteres in hoc toto genere nihil ultra quaesivisse, quam ut ingratum brevium syllabarum concursum effugerent; deinde illud doceat, hanc artificialem rationem non tam metri caussa inventam, sed a natura ipsa inchoatam esse, orationem

βολος, κατηβολή, ἐλαφηβόλος antiqui verbi ἐβάλλω (cf. ἄβολος, ἀβολεῖν) residuum esse statuit ad Min. p. 149.

[1]) quae sententia etiam est Curtii, Erläut. zu meiner Schulgr.[2] p. 141, et Berchii „Ueber die Composition der Nomina bei Homer" progr. Kiel 1866, p. 1 sq.

ita modulante, ut longa cum brevibus temperaret": et quae ibid. p. 634 ait: „Namque eadem musica ratio, quae poetas ad haec quaerenda exilitatis remedia impulit, similiter omnem priscam sermonem pervagata est, qui quam medulatus quamque poeticae licentiae similis fuerit, loquuntur nomina deorum, solemnitatum, hominum propria, ab ima vetustate tracta, diuque ante poesin nata". Quae quam vere dicta sint, docent exempla a Roedigero p. 25 sq. collecta. Quorum longe maior pars praeter hoc η — si syllabae finalis terminationem casualem continentis rationem, ut par est, non habemus — non habet nisi breves syllabas (et sunt omnia haec vocabula aut quadrisyllaba aut quinquesyllaba)[1]: *Πυληγενής, νεηγενής, Πολυμηδόχος, ὀλιγηπελέω, ὀλιγηπελίη, θεηκολέω, νεήφατος, θανατηφόρος, ἐλαφηφόρος, ξιφηφόρος, χλαμυδηφόρος* et doricae dialecti haec, quae veterem formam ᾱ servaverunt: *νεαγενής* Eurip., *πολεμαδόκος* Pind., [*ἀδυματόκος* Callim. Theocr.]. Praecedente una longa et una brevi syllaba, sequentibus brevibus apud bonos scriptores non sunt nisi haec: *θεσφατηλόγος, ἀσπιδηστρόφος, αἱματηφόρος, ἀσπιδηφόρος, λαμπαδηφόρος*, quae omnia apud Aeschylum primum leguntur in iambicis scilicet versibus, itaque iambico rythmo videntur accomodata. Syllaba longa ante η non est nisi in duabus his vocibus: *αἰχμηφόρος* Hom. *γλαυκηπόρος* Emped. Quid igitur? Viginti compositorum cum in modum formatorum duo tantum, si in syllaba articulari η non adhibitum esset, brevium syllabarum coacervatione ingratum sonum non fuissent datura. Et cur syllabam finalem prioris membri produci potuisse negemus, quam primam posterioris membri vocalem in tot compositis productam asse constet? Eodem modo prioris membri vocalis finalis producta est etiam in *Λειώκριτος* Hom. *P* 344, β 242, χ 294. Etiam in lingua sanscritica vocales prioris membri finales nonnunquam produci auctor est Iustias p. 36.

Quod autem quidam offendant in vocali η, cum ο productum fieri debeat ω, id quidem facili opera expediri potest, si

[1]) exempla non affero nisi scriptorum ante Alexandrum, et illa quoque hoc loco omitto, quorum prior pars est particula indeclinabilis, ut *ἐπήβολος, ἑκατηβελέτης, ἐπήρατος* cet. quorum aliam puto esse explicationem.

huius vocalis finalis productionem illo iam tempore inchoatam putamus, quo secundae declinationis themata adhuc in α desinebant, ut prior illius η forma fuerit α longum. Cuius α Curtius vestigia putat servata in Πολεμᾱδόκος Pind. Pyth. 10, 22, νοθαγενής Eur. διδυμᾱτόκος Theocr., sed haec sunt Doricae dialecti. Rectiusne idem de Πολεμαγενής Aeschin., δολιχαδρόμος, μακραδρόμος Xen. affirmari possit, an pro Πολεμογενής cet. dicta sint, dubito, quum in prosa oratione quantitatem τοῦ α quis perspiciat? Illam vero vocalis thematicae productionem a poetis inprimis cupide arreptam esse non est quod miremur: qui quantam sibi in producendis syllabis permiserint, videas apud Matthiaeum Gr. Gr. p. 70, § 19, c., Kühnerum Ausf. Gr. I, p. 137. Neque tamen talia singulorum quorundam poetarum audacia facta sunt, sed diutino usu poetico per tota illa saecula ante Homerum, quibus epica qualiscunque poesis viguit, paulatim recepta et fixa, eamque ob causam facilius etiam in pedestrem et quotidianum sermonem translata, qui quantopere ex poesi praecipue epica pependerit, quamque ex illa succum et colorem traxerit, notissimum est. Neque singulis verbis haec libertas tanquam privilegium erat concessa, sed in his illis vocabulis adhibebatur, utut necesse vel gratum erat, adeo ut vel idem vocabulum compositum ad arbitrium fingentis vel ο vel η in commissura haberet, plane eadem ratione, qua in aliis quoque vocabulorum syllabis mox brevis mox longa vocalis adhibebatur: ἀεικέλιος et ἀεικήλιος, ἀπερείσιος et ἀπειρέσιος, ἐννοσίγαιος et ἐνοσίχθων, ἐπημοιβός et ἐπαμοίβιος, ἀΐδηλος Homeri, ἀείδελος Hesiodi: et vel in eodem versu eadem vox diversa utitur quantitate: Hes. op. 490: οὕτω κ' ὀψαρότης πρωιηρότῃ ἰσοφαρίζοι.

Iam quum in commissura vocabulorum compositorum etiam alterum illud η exstaret (quod praepositionem esse supra p. 20 seq. vidimus), paulatim duorum η natura non iam bene perspiciebatur, originisque memoria evanuit. Ita translatum est η etiam in stirpes tertiae declinationis. Sed id quidem posteriore tempore factum est, nam apud Homerum eius modi composita nondum inveniuntur; Aeschyli sunt ἀσπιδηφόρος αἱματηφόρος, λαμπαδηφόρος, quorum η praepositio esse et ad posterius membrum pertinere videtur, et ἀσπιδηστρόφος; Theo-

criti χλαμυδηφόρος, cetera recentiorum, quorum commenta diiudicare, quum nonnisi analogiam parum perspectam secuti sint, vix videtur operae pretium esse.

Restant ea quorum prior pars est particula indeclinabilis, ἐπήβολος, κατηβολή, κατηβελέτης, ἑκατήβολος, ἑκηβόλος, εὐηγενής, ἀπηλεγέως, δυσηλεγής, ὑπερηφανέω, ὑπερήφανος, -ίη; variis modis explicanda. Quae quominus cum Herzogio simpliciter analogiam eorum quae modo tractavimus secuta esse putemus, prohibemur eo, quod illorum apud Homerum multo minor est numerus quam horum ipsorum ab indeclinabilibus incipientium, quorum multa nisi apud Homerum omnino non inveniuntur, et quod neque tertiae declinationis stirpes apud Homerum iam illam analogiam secutae sunt. Et de productione metri causa facta cogitari nequit, nisi in κατηβολή et ἀπηλεγέως (quum praepositionis ἀπό vetustior forma fuerit ἀπά, cf. scr. apá), sed in praepositionibus haud scio an productio vocalis finalis non videatur permissa esse. Rectius fortasse illud κατη et ἐπῆ pro instrumentalibus habueris, quum instrumentalis in lingua indica vetere habeat terminationem â, et in Graeca lingua aliae quoque particulae in η et α desinentes proprie casus instrumentales fuisse videntur, qua de re cf. Kühnerum in Ausf. Gr. I, p. 278 θ anm. 8, ut ἀμαί, ἀπαί (Curtius Etym.[2], 242), καταί ὑπαί locativi sunt (Kühner. Gr. I, 727 η), et omnia paene adverbia, ideoque etiam praepositiones, nil nisi casus nominum abolitorum esse constat (Kühner I, § 336). Probabiliter Curtius (Et.[2] 261) in ὑπερήφανος, -ίη, ὑπερηφανέω inesse docet stirpem adiectivam ὑπερα producta vocali finali: quas voces a φαίνω derivari non posse (ut voluit Doederleinius Hom. Gl. 2192) bene demonstravit Roedigerus p. 27. — Ἐπηετανός recte videtur Curtius Et.[2] 316 referre ad αἰέν, αἰές, ἀεί, quia illis, qui vocem ab ἔτος derivatam esse censent, repugnat significatio. — De ceteris maxime placet Roedigeri sententia, η esse praepositionem, quae respondeat sanscrito â. De ἀπηλεγέως dubius sum, utrum hanc praeferam explicationem, an illam, quam modo ipse protuli: certe ab ἀλέγω derivatum esse nullo modo potest, quum apud Homerum semper significet ἀπολελυμένως, ἀποφαντικῶς, non ἀφροντίστως, cf. Lobeck. Path. I, 434.

Itaque non displicet Roedigeri sententia „in illo adverbio agnoscendam esse stirpem verbi *λέγειν*, loqui, praepositionibus *ἀπό* et *ἤ* (*ἄ*) iunctam; quod autem ad significationem compositi „frei heraussprechend", conferendum *ἀπόφημι* apud Hom. *H* 362, *I* 422." Sed eadem vocis significatio esset etiam *ἀ* praepositione non adiecta, siquidem *ἄπη*, ut supra suspicatus sum, = *ἀπό* est; id quod ipso *ἀπόφημι* comprobatur. — Etiam *δυσηλεγής* epitheton mortis non invenuste interpretatur Roediger „detestatus, *δύσφημος*, *δυσώνυμος*." Cetera num recte ab illo disputata sint, diiudicare nolo, tamen ex tanta sententiarum varietate mihi videntur veri simillima. Etiam hoc loco, ut saepe, optimum erit dicere: non liquet, nec erubesco me nescire, quae Lobeckius et Curtius iniudicata reliquerunt (Lob. Phryn. 698 sqq., Path. 431 sq., Curt. Erl. p. 144).

Posteriorum temporum pauca huius generis sunt nova commenta, ad analogiam veterum composita: *δυσηβόλος*, *ὑπερηφερής*, *εὐηπελής*. *Εὐηπελής* luculentum est exemplum, quam inconsiderate ac paene dicam stulte posteriores secuti sint maiorum analogiam, fictum est enim ad similitudinem duarum vocum plane diversa ratione formatarum, *εὐ-ηγενής*, quod est „bene in lucem (*ἠ*. hervor) editus," et *ὀλιγηπελής*, quod ab *ὀλιγο* producta vocali thematica est derivatum et bene explicatum a Roedigero p. 33, „paululum modo se movens, vix vivus".

4. De *ι* vocali in commissura compositorum.

Iam veniamus ad vocalem *ι* in commissura compositorum non nullorum conspicuam. Atque huius quidem in aliis alia est origo.

Primum saepe est vocalis thematica nominis substantivi priore loco positi, velut in *πτολί-πορθος*, *μαντι-πόλος* al. Quorum in numero esse probavit Roedigerus (p. 51 sqq.) *νυκτι-* (*νυκτί-πλαγκτος*, *νυκτί-σεμνος*, *νυκτί-φοιτος* al.), cf. lat. *nocti-*, goth. *nahti*, litt. *nakti*; cuius vocabuli etiam in *o* terminata stirps in usu fuit: sanscr. *nakta*, cf. *νυκτο-μαχία*, *νυκτο-πορέω*, nisi haec composita ad analogiam tantum aliorum stirpes in *o* desinentes continentium ficta putare malis; — deinde themata in *ι* desinentia haec esse satis probabiliter de-

monstrat: *αἰγι* (αἰγί-βοτος, αἰγί-λιψ, αἰγι-πόδης al.), cf. Curt. Gr. Et.[2] p. 157, per epenthesin τοῦ ι ex ἀγι, sanscr. *ajas*, natum; — *πυρι* (ἐμ-πυρι-βήτης, πυρί-καυστος, πυρί-φλεκτος al.), unde per epenthesin factum sit πύιρ apud Simonid. Amorg. fr. 29 Bgk. (Curt. Gr. Et.[2] 358), germ. vet. *fuir*, *fiur*, nostrum *feuer*. — Idem factum esse in *χειρ* (χερι-άρης, ἐγ-χειρί-θετος al.) ex χερι (sanscr. *har* rapio, adipiscor) veri simile est. — *ἁλι* (ἁλι-αής, -βαφής, -δονος, -κλυστος al.) congruit cum latino *sale* (Neue Formenl. I, 152), sanscr. *sala*. Sed ἁλι corruptum esse ex ἁλο G. Meyero (p. 85) non concedam, quum debilitationem ο vocalis in ι Graecis insuetam fuisse post Curtium (Gr. Et.[2] p. 641) luculente docuerit Roediger p. 39.

Jam multa horum ι in commissura compositorum Roediger et G. Meyer (p. 114 sqq.) vocales thematicas adiectivorum in ι suffixum desinentium esse censent, non plane spernendi meo quidem indicio. Nam licet adiectiva in ι et apud Homerum rarissima sint, et apud posteros paene nunquam inveniantur — Homeri sunt εὔνις, ἦνις, θέσπις, ἴδρις, τρόφις, denique ἶφις (Bekker, Hom. Bl. p. 160, 1), cuius non leguntur nisi nom. plur. neutr. ἴφια μῆλα, et nom. sing. neutr. adverbialiter usurpatus ἶφι; posterorum ἴδρις, ψεῦδις Pind. Nem. 7, 49, deinde βρῖς, βρί (Hesiod. ap. Strab. 8, p. 364 et Hesych. in v., et in composito βριήπυος) et ῥαίς, ῥαί (tragg. ap. Strab. l. c. et Hesych. s. v.), quorum naturam intellexit Buttmannus Ausf. Gr. 1[2] § 56 anm. 13, p. 213; denique χάλις affert Hesychius, unde petitum χαλίφρων — licet igitur et apud Homerum rara et apud posteriores rarissima sint, tamen priore tempore plura id genus adiectiva in usu fuisse videntur. Cui rei testimonio sunt primum adverbia ἄρτι, ἄγχι, fortasse etiam ἶφι, ἄρι, quae nihil sunt nisi nominum adiectivorum accusativi sing. neutr. Deinde etiam in sanscrita lingua suffixo *i* et adiectiva et substantiva actorem significantia finguntur, quorum genera enumerat Benfeyius in Ausf. Gr. § 281 et 296. His id quoque cum Graecis commune est, quod antiquissimis tantummodo temporibus in usu fuerunt, neque fere leguntur nisi in hymnis vedicis. Eius generis sunt: *çuci* purus (proprie splendens, a *çuc* splendere),

bodhi sapiens (a *budh* scire), *vyâ-naçi* penetrans (*vi* + *â* + *naç*), *dadi* dans (*dâ* dare), *yayi* currens (*yâ* currere), *cakri* faciens, efficiens (*kar* facio), *cikiti* gnarus, peritus (*cit* cogitare), *babhri* ferens, accipiens (*bhar* ferre), *jagmi* currens (*gam* ire), *jajni* qui procreandi facultatem habet, germinans (*jan* gignere). Addo substantiva *yaji* sacrificulus (*yaj* sacrifico), *chidi* securis (*chid* findo), *vavri* m. latebrae, tegimentum, vestis, corpus (quod est animae velamen), itaque proprie: qui tegit (*var*); *jani* et *jani* f. femina, i. e. genitrix (*jan* gigno). Haec vedorum sunt: postero tempore voces hac ratione formatae nisi in fine compositorum non sunt usurpatae, nobisque lexicis tantum et grammaticis veterum Indorum servatae, unde quam rarae fuerint illis temporibus litterarum Indicarum splendidissimis intelligas. Eius generis sunt *udaram-bhari* qui ventrem suum tantum alit (*udara*, *bhar*), *nâtha-hari* dominum vehens (*nâtha*, *har*) alia id genus. Etiam linguae latinae adiectiva hunc in modum terminata sunt non nulla: *comis*, *dulcis*, *grandis*, *ingis*, *lenis*, *mollis*, *rudis*, *turpis*, *volupe* (Leo Meyer, vergl. Gr. d. Griech. u. Lat. spr. II, 168). Linguarum bactricae veteris et bulgaricae veteris exempla similium nominum videns apud Schleicherum, Comp.[3] 371, G. Meyerum p. 115. — Denique Graeci ipsi suffixo ι terminata etiam substantiva habent plerumque agentium significatione praedita: τρόχις Aesch. Prom. 941, Lycophr. 1471, nuntius (τρέχω), κόρις cimex (scabens, radens, a radice κερ, κείρω, cf. Benfey Gr. Wurzellex. I, 201), κόπις Eur. Hec. 133, Lycophr. 763. 1464 zungendrescher, garrulus (κόπτω. cf. κοπίς, -ίδος, culter, gladius, Soph. fr. 761 Dind., et in composito πτερνοκοπίς, -ίδος Axionic. ap. Athen., schinkenhauer, parasitae nomen iocose impositum), στρόφις Ar. nub. 450 homo versutus: fortasse etiam ἄγυρις = τὸ ἀγειρόμενον? Haec substantiva, ut nomina actoris, ab adiectivis significatione non multum differunt, et qui ad linguae initia respiciat, inter substantiva et adiectiva a principio magnam differentiam omnino non fuisse intelliget.

Quae quum ita sint, ut et Graecis nomina ι suffixo terminata non nulla sint, nec cognatae linguae talibus nominibus careant, quumque in lingua sanscrita illas voces antiquissimo tantum tempore in usu fuisse, postea paulatim evanuisse et in

compositis raro adhibitis delituisse viderimus, idem in Graeca quoque lingua factum esse suspicantes nimiae audaciae vix argui posse nobis videmur. Itaque licebit, in quibusdam vocibus compositis, quarum prior pars desinit in *ι*, illius modi themata ex antiquiore linguae aetate servata putare. Ita Roedigerus explicat *κρατι*, *καρτι* in *Κρατι-σθένης*, *Καρτι-δάμας* al., *ἁμαρτι* in *ἁμαρτί-νοος* (quod revocat ad sanscr. *amarti* qui non meminit, non provideas; ego verbum *ἁμαρτάνω* potius in priore parte putaverim latere ut in *λαθικηδής* *λανθάνω*, in *κυδι-άνειρα* *κυδαίνω*, quum de priore parte verbali idem valere putem, quod de posteriore dixi p. 15 adn. 1), *ἀργι* (*ἀργι-κέραυνος*, *ἀργιόδους* al., p. 131), *ἀλκι* (p. 59) in *Ἀλκιμέδων*, *Ἀλκίφρων* cet., quod adiectivum servatum patet formula illa *ἀλκὶ πεποιθώς*, ut *ἀλκί* sit accusativus neutr. gen. adverbialiter usurpatus, verborumque significatio sit: „fortiter, valde confidens.“ Sed usitata interpretatio „robori confidens“ simplicior est magisque rei convenit, neque compositis illis repugnat, quorum prior pars dativus esse aut ad dativi similitudinem ficta esse potest; cf. quae infra de dativo casu in prioribus compositorum membris adhibito dicentur. — Plura etiam eiusmodi adiectiva eruit G. Meyer, qui p. 115 sq. huc refert; *δαΐ* = *δαϝι* in *δαΐ-φρων*, *καλλι* („die grundform für den comparativ *καλλίον* = **καλλjανς* *καλλjαντ* superlativ *κάλλιστο* = *καλλjανς-τα*:“ vix recte, quum *κᾱλ-ός* apud Homerum, *καλλ-ίων*, *κάλλ-ιστος* ex eodem fonte *καλjα* fluxisse videantur, sic ut *κάλλος* ex *καλjος*. cf. Curtius Et.[2] p. 130), *πυκι* in *πυκι-μήδης*, deinde omnes compositorum priores partes verbales asigmatas in *ι* desinentes, ut *ἀρχι* in *Ἀρχί-δαμος*, *Ἀρχί-λοχος*, *ἀρχι-θέωρος* Aristot., *ἀρχι-τέκτων* Herodot., *ἑλι* in *ἑλί-πους* Hom., *ἑλι-τενής* Theocr., *ἰλι* in *ἰλί-τροχος* Aesch., *ἐναρι* in *ἐναρί-μβροτος* Pind., *κυδι* in *κυδι-άνειρα* Hom., *λαθι* in *λαθι-κηδής* Hom., *λαθί-πονος* Soph., *λαθί-φρων*, *οἰδι* in *Οἰδί-πους*, *πειθι* in *Πειθι-άνασσα* Nonn., *τερπι* in *τερπι-κέραυνος* Hom., *χαρι* in *χαρι-εργός* Anth. Pal.

Haec sententia etiam si audacior videri possit, tamen ceteris omnibus de hoc compositorum genere prolatis multo probabilior est, mihique admodum placet. Dicat fortasse quispiam, me mihi non constare, qui supra (p. 8 sqq.) impugnaverim G. Meyerum,

prioribus compositorum partibus in ο desinentibus servata esse permulta vocabula abolita censentem, nunc vero ipse de prioribus partibus in ι desinentibus similem sententiam defendam. Sed tamen interest aliquid inter illud compositorum genus et hoc. Primum distinguendum est inter ea composita ι vocalem in commissura exhibentia, quorum prior pars manifesto nominalis est, et ea, quorum prior pars videtur esse verbalis, quae posteriore loco enumeravi. Illis pauca tantum adiectiva in ι continentur: *χαρι* (*χαρτι*), *ἀργι*, *ἀλκι*, *δαϊ*, *καλλι*, *πεχι*; et ego neque supra infitias ivi, paucas voces abolitas in compositis servatas esse posse (p. 13), neque nunc omnes has compositorum partes priores adiectiva in ι desinentia esse contendo, immo *ἀλκι* et *καλλι* alia ratione explicanda esse modo dixi, et de ceteris non existimo nisi Roedigeri sententiam veri simillimam esse, nihilque obesse quominus illis compositis revera servata sint adiectiva in ι desinentia. Quod autem ad priores partes verbales attinet, probo equidem Meyeri sententiam, hoc ι esse suffixum nominum actoris, tamen nullam fere harum partium priorum revera adiectivum esse puto. Quae sententia quum *παράδοξος* videri possit, paucis quod sentio exponam.

Prisco illo tempore, quo haec componendi ratio primum inventa est, has partes priores in ι desinentes revera adiectiva fuisse probabile est. A verbis propagabantur per ι suffixum nomina actoris, quae vel adiectivorum munere fungebantur, vel cum aliis nominibus componebantur. Unicuique id genus nomini utrumque licebat. Sed quum illis temporibus maxima libertas esset nominum verbalium fingendorum, permulta eius generis nomina semel tantum creata et usurpata sunt, ubi aut necessitas nescio quae aut fingentis voluntas iubebat, et praecipue in compositis fingendis sic factum esse verisimile est, ut, ubicunque alicui placebat, a verbo quodam derivaretur eiusmodi forma huic usui soli destinata. Itaque a quibusvis verbis quovis temporis momento eius generis formae poterant derivari, usu tamen recipiebantur perpauca, sed longe maximam partem *ἐφήμερα* erant, eodem die et nata et mortua. Mox adiectivis sic formatis uti homines paulatim desierunt: in compositis vero illa formandi ratio servata est ita, ut, quoties tali composito opus erat, a verbo quodam ad ipsum hunc finem derivaretur

nomen verbale in *ι* desinens. Quum autem adiectiva sui iuris in *ι* desinentia essent abolita, obliti sunt homines, etiam illas compositorum partes priores esse adiectiva, verbalisque significatio in illis praevaluit, id quod eo facilius fieri poterat, quod propria singulorum membrorum significatio in compositis omnino solet paulum obscurari. Ita factum est, ut nova eiusmodi vocabula fingentes ipsi nescirent, se nomina verbalia agentem significantia fingere, sed fingebant tantum eadem ratione quam a maioribus traditam acceperant, veterum id genus compositorum analogiam sequentes, etiam si formae illi antiquitus traditae aliam iniungebant significationem. Inde sequitur, vera adiectiva non esse posse nisi eas partes priores, quae ab eo inde tempore ad composita fingenda adhibitae sint, quo adiectiva sui iuris in *ι* frequentius etiam fingebantur et usurpabantur, necdum ita erant abolita ut Homeri Aeschylique aetate. Itaque, etiam si non nego, in compositis eius generis nobis relictis unum et alterum adiectivum ex illo prisco tempore servatum esse posse, tamen, quae est compositorum natura, multo probabilius est, haec omnia posteriore aetate ad veteriorum nobis non relictorum analogiam ficta esse, ita ut priores eorum partes formam quidem habeant adiectivorum, sed nunquam revera fuerint adiectiva. Haec mea de hoc compositorum genere opinio est, quam haud ita diversam esse ab ea sententia quam de compositorum prioribus partibus in *ο* desinentibus supra tuli intelliges.

C l e m m i u s hoc *ι* esse vocalem compositivam eiusdemque originis putat atque *ε* et *ο* in commissura compositorum posita. Sed haec sententia eam ob causam parum placet, quod ego quidem plane non intelligo, cur in his ipsis vocabulis illa vocalis compositiva *α* (talem enim primitus fuisse Clemmius, si recte quid sibi velit percepi, existimat p. 128) attenuetur in *ι*, in aliis in *ε* vel *ο*? Neque rem expediunt, quae idem ait in Kuhnii diario XIX, p. 72: „Das suffix *a*, welches im Griechischen in einigen fällen ebenso gut zu *i* geschwächt werden konnte, als dies im Lateinischen regel geworden ist.“ Linguae enim Latinae hoc ipsum proprium est, ut *i* vocalem praecipue in stirpium exitu mirabiliter adamet, saepissimeque alias vocales in *i* mutet, vel *i* consonantibus stirpium finalibus

adiungat. Graeca autem lingua plane contra paene respuit hanc *i* vocalem, nisi antiquitus accepit, neque temere alias vocales in *ι* mutat nisi certa quadam causa cogente. Talem igitur causam etiam his vocabulis subesse demonstrandum erat. Ea autem repeti non potest nisi a vocalibus vel consonis adiacentibus. Sed ex vocalium adiacentium vi, et vel assimilandi vel dissimilandi quodam studio varietatis illius vocalium compositivarum causam repeti non posse, ipse Clemmius intellexit p. 132. 133., consonantium vero et praecedentium et sequentium maxima est varietas, nec desunt quae plane alienae sint ab amore quodam *ι* vocalis, ut liquidae *ρ λ μ ν*, quae *ο* vocalem sibi potius asciscere solent (velut in coniugatione, ubi *ε* vetus ante *μ* et *ν* fit *ο*: *φέρομεν*, *φέροντι*, *φέρωμι*, ante alias consonantes *ε*: *φέρεσι*, *φέρετι*, *φέρετε*). Et si quae consonantes videantur in *ι* vocalem propensiores, aspiratas dico et sibilantes *θ φ χ*, *σ ζ ψ ξ*, easdem tamen etiam cum *ε* et *ο* vocalibus coniunctas reperias: *ἐχέ-θυμος*, *ἐχε-πευκής*, *ἐχέ-φρων*, *Ἰσχέ-πολις*, *ἀρχέ-γονος*, *ἀρχε-δίκης*, *ἀρχέ-κακος*, *τρεχέ-δειπνος*; *Ἰσχό-λας*, *Ἰσχό-πολις*, *Πειθό-λαος*, *Πυθό-λαος*, *Πυθό-δημος*, *μισο-βάρβαρος*, *μισό-δημος*, *αὐξο-μείωσις*, *αὐξο-σέληνον*, *ὀζό-στομος*, *ὀζό-χρωτος*, *σωζό-πολις*, al. Itaque a sonorum certe natura causa nulla *ι* potissimum vocalis in his vocibus adhibendae potest repeti, et sine omni eiusmodi causa plane ad arbitrium et mobilem nescio quam cuiusvis voluntatem hanc vel illam vocalem positam esse, quis est qui dicere audeat? Neque analogiae vi illam *ι* vocalem natam esse putabit, qui parvum eorum numerum meminerit, quibus nomina in *ι* desinentia eodemque tempore etiam extra compositionis vinculum usurpata insunt, quique viderit, ceterarum per *ι* vocalem compositarum vocum quam certis finibus circumscriptae classes sint, ut ab his analogia haud ita facile potuerit trahi.

Ceterum de iis compositis, quorum prior pars est substantivum in *ι*, non poenitebit eorum meminisse, quae acute Roedigerus p. 54 animadvertit: „Cerni in his compositis antiquiorum poetarum insignem verecundiam vel abstinentiam, eam scilicet, quae effecerit, ut in longe plurimis hoc genus compositis prioris membri terminatio *ι* potius ex dativi aliquo sensu qui insit compositis, finxisse videatur, quam ex memoria thematum in *ι*.“

Eiusque rei hanc causam esse non inscite indicat, „quod illi, quum formarum antiquitus traditarum in compositis (ut νυκτι-πορι cet.) naturam non iam satis perspicerent, spreto quidem ο vocali retinuerint antiquam formationem, sed non admiserint nisi ubi eis ex dativi sensu compositis subiecto singularis quaedam excusatio accedere videbatur."

Hac illarum vocum natura ad alterum nominum per ι vocalem compositorum genus traducimur. Dico ea nomina composita, quae vocabulo a J. Grimmio invento spuria vocari solent, eam ob causam, quod non a pura stirpe nominis alicuius, ut vera composita, incipiant, sed a forma aliqua declinata casusque suffixo insignita. Horum compositorum spuriorum longe maxima pars in commissura ι habet, itaque priore membro continet vel dativum vel locativum plerumque tertiae declinationis, nonnumquam etiam primae vel secundae, velut δουρι-κλειτός, ὀρει-βάτης, ναυσι-πόρος, ὁδοι-πόρος. Haec componendi ratio quamquam multo recentior est altera usitatiore quam genuinam vocamus, nec, ut Iustius putavit, illius quasi parens est, tamen est antiquissima. Cui rei quum illud testimonio est, quod iam apud Homerum multorum id genus compositorum partibus posterioribus continentur nomina, quae sui iuris non sunt, sed nisi in compositis ipsis non usurpantur, ut ἀρηΐ-φατος, διι-πετής, δουρι-κτητή, ἐντεσι-εργός, Μηδεσι-κάστη, ὀρεσί-τροφος al., tum hoc, quod aliae quoque linguae et praecipue lingua Sanscrita iam in hymnis vedicis Homerum tempore longe longeque praecedentibus eiusmodi composita exhibent. Exempla affert Iustius p. 11 sqq. 13 sqq.: *vājam-bhara* (acc. sing., pro *vāja-bhara*), *vipaç-cit* (acc. pl., pro *vipa-cit*), *dhiyā-vasu* (comitat. vel instrum., pro *dhī-vasu*), *mahe-vṛdh* (dat. sg. inf. verbi *mah*, cf. Böthl. Roth Wb. V, p. 609 s. v. *mah* 1_1 3) al. Haec sunt vedarum: Bactricae veteris linguae e. gr. *yavaê-ji* (dat. sg.), *rathaê-çtâro* (loc. sing.). Et omnino haec formas declinatas adhibendi ratio, ubi primum stirpes nudae in continuo sermone usurpari desiverant, maxime idonea novis compositis fingendis videri debuit.[1] Itaque

---

[1]) Ea de re cognovisse iuvabit egregium Buttmanni iudicium, qui in Ausf. Gr. II, 461 dicit haec: „Dabei will ich aber keineswegs

hanc componendi rationem ab antiquissimo inde tempore a Graecis usurpatam esse, nemo poterit infitiari, multasque voces compositas ea ratione fictas esse constat. Certe permultorum compositorum prior pars formam dativi habet aut singularis, ut *δορι-κτητός*, aut pluralis, ut *ναυσι-φόρητος, χερσι-δάμας*, saepe etiam dativi formam vetustiorem abolitam, ut *ὀρες-ι* pro eo quod postero tempore in usum venit *ὀρε-ι, ἔγχεσι, μήδεσι, τείχεσι* pro *ἔγχει, μήδει, τείχει* al. Sed quaeritur num omnia haec composita revera a dativo incipiant. Ea de re accurate egit F. Fedde in progr. gymn. Elis. Vratisl. 1871 „Ueber Wortzusammensetzung im Homer. Erster teil," p. 15 sqq. Qui quum de compositis spuriis disputet, quae „zusammenrückungen" vocat, primum ea re nobiscum consentit, quod multarum vocum, quae *ι* in commissura habent, prioribus membris contineri censet stirpes in *ι* desinentes, ut *αἰγι, ἁλι, νυκτι* al., deinde autem dicit haec: „Zweitens werden wir nur dann eine casusform als solche anerkennen, wenn die durch den betreffenden casus ausgedrückte grammatische beziehung unzweifelhaft zwischen den beiden gliedern des compositums obwaltet. Denn wir sind überzeugt, dass nur dann das casuszeichen im gegensatz zu der geltenden compositionsregel beibehalten oder in anwendung gebracht werden konnte, wenn die casusbeziehung entschieden lebendig gefühlt wurde. Kurz, wir werden nur dann eine zusammenrückung anerkennen, wenn der fragliche auslaut des ersten gliedes der treffende ausdruck der in der composition lebendigen grammatischen beziehung ist, ohne als thematischer auslaut oder hilfsvocal nachgewiesen werden zu können." Iis igitur compositis, quorum prius membrum formam dativi habet, revera dativum contineri negat, nisi etiam significatio insit dativi casus. Hanc sententiam ut examinemus, congessimus omnia eiusmodi composita et exhibentia significationem dativi et non exhibentia, quae apud Homerum, Hesio-

läugnen, dass, wenn eine solche form dem ohre so deutlich einen gewissen casus gab, und besonders wenn der Gedanke eben diesen casus begünstigte, dass man dann auch diesen wirklich vernahm; ja dass auch wol besonders dichter, wenn sie sich neue composita schufen, zu solcher casusform vorzugsweise griffen."

dum, Pindarum, Aeschylum, Sophoclem leguntur: Euripideorum ea adiunximus quae collegit Roediger. Sed priusquam hanc vocabulorum copiam proponamus, de singulis quibusdam difficilioribus pauca praefanda sunt.

Et primum quidem dicendum est de vocabulo difficillimo *ἀργει-φόντης*, Mercurii epitheto. Hoc vocabulum solent interpretari: „qui Argum Ius custodem occidit.“ Sed *Ἄργος* secundam sequitur declinationem et genitivo utitur *Ἄργου*. Itaque ab *Ἄργος* compositum illud petitum esse nequit. Sed est apud Pindarum *ἀργεί-λοφος* fr. 214: *οἵ τ' ἀργείλοφον πὰρ Ζεφυρίου κολώναν*, de Zephyrio promontorio cretaceo vel calcario dictum, quo in composito igitur *ἀργει-* idem est atque alias *ἀργι-* (ut in *ἀργι-κέραυνος*, *ἀργι-όδους*), et significat colorem album. Itaque haud scio an etiam in *ἀργει-φόντης* idem vocabulum *ἀργι* insit, vocali finali *ι* producta in *ει*, totumque compositum significet aut eum qui lucidus, splendens apparet, *τὸν ἀργῶς, λαμπρῶς φαινόμενον* (sic explicat Hesychius: *ἀργειφόντης· καθαροφόντης, λευκοφόντης* 1, 273 Schm.), aut eum qui celeriter advenit, ut iam schol. Lips. ad. Il. *B*. 104 interpretatur: „*ὁ ταχέως καὶ τρανῶς ἀποφαινόμενος*“, quam interpretationem ab Aristarcho ipso auctore profectam esse demonstravit Sengebusch Ariston. p. 26 ad *α* 38. Haec significatio bene apta est Mercurio, Iovis nuntio; et quae vocabulorum album vel nitentem colorem et celeritatem significantium sit necessitudo, notum est: cf. *κύνες πόδας ἀργοί*, *ἀργίποδες*, *αἰόλος*. De *ο* vocali in paenultima, ubi exspectaveris *α*: *φαντης* a radice *φαν*, *φα*, diserte disputat Ameisius ad *α* 84, qui in Aeolica dialecto semper *φοντης* pro *φαντης* dici commemorat, et Aolmanis locum affert, (fr. 34 Bgk., ap. Athen. XI, 498, cf. Rhein. Mus. X. p. 256), quo usurpatum est *ἀργιφόντης* servato *ι*: *τυρὸν ἐτύρησας μέγαν ἄτρυφον ἀργιφόνταν*, caseum albo colore nitentem. Itaque *ει* diphthongus est, nec legendum *ἀργεϊφόντης*. Sed mirum videtur, quod *ῐ* mutatum est in *ει*: id quod in mediis vocibus saepissime factum est: *εἴκοσι* pro antiquiore *Ϝίκατι*, *πείθω*, *λείπω* a radicibus *πιθ λιπ*: in stirpium exitu fere nunquam. Sed idem fortasse factum est in *διειπετής* *διειτρεφής*, quae Zenodotus supposuit pro *διιπετής*, *διιτρεφής*, et in *Ποσει-δάων*, quod ex *Ποτιδάων* natum esse

constat. Huius enim compositi prior pars, sive eam esse putamus *πόσις* = scr. *pati*, dominus, sive, ut nunc fere consentiunt, *πόσις* a *πίνω*, rad. *πο*, derivatum, desinit in *ι*, neque assentio Sonnio qui in KZ. X, 183 *ποσει* locativum esse putat, et posteriorem partem *δαων* = *γαjων* a rad. *γα*, nascens, ut totius vocabuli sententia sit: in aqua, ex aqua nascens. Mihi magis placet Platonis sententia, *Ποσειδῶνα* esse *τὸν πόσιν διδόντα*, qui hominibus aquam praebet. Utramque formam *Ποτιδᾶς* et *Ποτιδάων* a radice *δα* derivari posse demonstravit Kuhnius in diarii sui t. 1, p. 457.

Itaque *ἀργειφόντης* pro *ἀργι-φάντης* dictum esse existimo. Eique sententiae non mediocre auxilium est, quod Ameisius ex Etymologico magno affert, etiam Solem *ἀργειφόντην* appellatum esse. (Et. Gud. ed. Sturz, p. 72, v. 53: *Ἀργειφόντης ὁ Ἑρμῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ παρὰ πολλοῖς· παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ ἐπὶ δὲ τοῦ Ἀπόλλωνος*). Similis sententia est Welckeri qui in Gr. Götterlehre I. p. 336 *ἀργειφόντης* interpretatur „der alles weiss erscheinen lässt."

Leo Meyer (Bemerkungen zur ältesten gesch. der griech. myth. p. 20. 53) et Roediger p. 70 *ἀργειφόντης* a vocabulo abolito *τὸ ἄργος* „splendor" petitum esse censent, et significare „töter des lichtglanzes, des stralenden himmels," quod non male congruit cum Mercurio *ψυχοπομπῷ*, *νυχίῳ*, *ὑπνοδότῃ*, qui caduceo „*ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει*". Sed in vocabulo antiquissimo longeque ante Homerum nato offendit dativi forma sine significatione dativi, qua de re infra plura dicentur. Eademque ex causa reiicio Ebelii sententiam, qui in KZ. VI, 210 *ἀργειφόντης* pro *ἀργεϝιφόντης* dictum esse et stirpem aliquam *ἀργεν* continere ait.

Falsam analogiam vocis *ἀργειφόντης* postero tempore videtur secutum esse *ἀνδρειφόντης*, pro *ἀνδρο-φόντης*, quod metro dactylico non aptum est.

διι-πετής fluviorum epitheton cur Roediger p. 47 sqq. neget esse „*ἐκ Διὸς πεπτωκώς* vel *πίπτων*", non satis intelligo. Nam in Graecia, terra arida, plerosque fluvios rivosque, nisi imbribus implentur, aqua paene omni carere notum est; cf. Strabo I, c. 36. Et *ἀπὸ Διὸς πίπτουσι*, quod Juppiter

apud Graecos est pluvius. Quam ob rem etiam *διοπετεῖς* vocantur *Φ* 223. Itaque recte fluvii dicuntur a Iove vel coelo delapsi. Similiter Empedocles v. 55 ed. Karst.:

Νῆστις θ᾽ ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.

Minus etiam offensionis habet *διι-πέτεις οἰωνοί* h. Ven. 4. qui in aethere volant.

δουρί-γαμβρος Aesch. Ag. 665 admodum dubium est. Hanc vocem interpretari solent: „quam sponsi armis petunt.“ Sed hanc sententiam quomodo inde eliciant, non intelligo. Schneidewinus: „von dem durch krieg siegenden erworben, matrimonium armis petitum, hastis in matrimonium ducta.“ Vossius: „die speerbraut.“ Sed *γαμβρός* non est nisi affinis masculini generis, socer, gener, uxoris frater, sororis maritus, et in dorica aeolicaque dialecto etiam sponsus. Itaque fortasse Aeschylus sprevit significationem usitatam et arripuit illam Doriensium, ut sit: quae hastis sibi sponsos comparat, i. e. quae bello in matrimonium ducitur. Si vero usitatam vocis *γαμβρός* significationem inesse putes, haec fortasse est sententia: quae hastam tanquam fratrem habet, ut quicunque eam in matrimonium ducat, illo affini utatur; quae marito hastam tanquam affinem coniungit. Non inepte Todtius (De Aeschylo vocabulorum inventore, progr. paedag. Hal. 1855) p. 39 *δορίγαμβρος* „minime a substantivo *γαμβρός* sed a *γαμέω* inductum putat terminatione *ρος* insertoque *β* euphonico, ut significet: hastis in matrimonium ducta.“ Haec interpretatio aptissima esset, nisi putandum esset, vocabuli *γαμβρός* significationem Aeschyli tempore iam fixam fuisse, ut vix credibile sit, ab Aeschylo novum vocabulum eadem forma sed plane diversa significatione esse fictum. — Itaque de hoc composito non satis liquet; certe in eorum numero est, quae certa et distincta utriusque membri significatione carent, quod compositorum genus apud Aeschylum inprimis frequens est.

ἐγχεσίμωρος alii a rad. *μαρ* (*μαίρειν μαρμαίρειν*) „fulgere coruscare“ derivant, ut sit „hastâ micans, splendens, eminens, inclitus“ (Ameis et Doed. ad Il. *B*. 692), alii a *μωρός*, rabidus, ut significet: „hastâ saeviens“; Benaryus KZ. IV p. 53 sqq. et Curtius Etym.[2] 296 ad rad. *smar* meminisse, cogitare revocant, ut *ἐγχεσίμωρος* idem fere sit atque *ἐγχεσίφρων*. Eodem modo *ἰόμωροι* et *ὑλακόμωροι* interpretantur. Sed recte Düntzerus

KZ. XII, 3, XVI, 284 sq. monet, a radice *smar*, gr. *μερ* non derivari posse nisi *μορος* vocali brevi, et probabiliter, ut mihi videtur, *μωρος* potius a verbo *μάομαι* petitum esse indicat, ut *θεωρός* a *θεάομαι* (similiter Leo Meyer, Vgl. Gr. II, 214). „Was *ἐγχεσίμωρος* bezeichnet, drückt ein homerischer dichter anderwärts durch die umschreibung aus: *μεμαῶς ὀρεκτῇσιν μελίῃσιν θώρηκας ῥήξειν δηίων ἀμφὶ στήθεσσιν* (B 543).“ Itaque *ἐγχεσίμωρος* est *ἔγχει μεμαώς*, *ἰόμωρος* et *ὑλακόμωροι* sunt *ἰῷ μεμαώς* et *ὑλακτεῖν μεμαώς*.

Ναυσι-κάα quid proprie significet adhuc, quantum scio, nondum probabiliter exploratum est. Nam quod Roedigerus putat: „naves urens“, id ab ipso auctore satis dubitanter prolatum est, et sententia apta caret. Mihi alia explicatio in mentem venit. Fortasse *καα* ex *κασα* factum est, et a radice *κας* derivatam, quae servata est in sanscr. *çaṅs* laudare, praedicare, lat. *car-men* (pro *cas-men*), *Cas-mena*, goth. *hazjan* laudare, celebrare, *hazeins* carmen celebratorium, *ὕμνος*, *ἔπαινος*. In lingua Graeca praeterea vestigium nullum huius radicis relictum est, sed *Ναυσικάα* nomen mythicum perantiquum esse verisimile est, itaque nihil obstat quominus in hoc vocabulo illam radicem servatam esse putemus. Quae sententia si verum tetigit, *Ναυσικάα* est „navibus celebrata, laudata“, et idem significat atque *ναυσικλυτός* et *ναυσικλειτός*, ipsorum Phaeacum epitheta, itaque regis Phaeacum filiae admodum aptum esse videtur.

De compositis a *πασι* incipientibus plane consentio cum Clemmio p. 29, in aliis *πασι* esse verbi *πάομαι* stirpem sigmaticam, ut in his: *Πασίμηλος*, *Πασικλῆς*, *Πασικράτης*, *Πάσιππος*, *Πασίκυπρος*, in aliis dativum pronominis *πᾶς*, ut in *Πασί-φιλα*, *Πασι-φάη*, *Πασι-φῶν*, *Πασι-θέα* (i. e., ut Preller, Gr. myth. I, 378 censet, quae omnibus *θέα*, spectaculo est). In non nullis hic dativus propria significatione destitutus esse et adverbii quodam modo munere fungi videtur, ut in *Πασι-θόη* Nereidis nomine apud Hesiodum: quae ante omnes celeris est?

Etiam de *πηγεσί-μαλλος* et *Πρωτεσί-λαος* assentior Clemmio p. 30. 31. *Πηγεσί-μαλλος* Curtius KZ. II, p. 155 sq., Dammium secutus, ad substantivum, quod sibi fingit, *τὸ πῆγος* revocat, quod idem esse censet atque sanscr. *pâjas*. Et quanquam huius *pâjas* plane aliam significationem esse lexico Petro-

politana ducemur, tamen nihil obstat, quominus *πῆγος* substantivum revera quondam exstiterit. Sed repugnat sententia compositi. Si enim vocis *πηγεσίμαλλος* prior pars substantivum est, totum compositum possessivum sive attributivum esse oportet. In attributivis autem, ut recte monuit Clemmius p. 46 sq., non potest nisi prius membrum pendere e posteriore: itaque *πηγεσίμαλλος* non potest significare: *τὸ πῆγος τοῦ μαλλοῦ ἔχων*; sed aut: *τὸν μαλλὸν τοῦ πήγους* aut *τὸν μαλλὸν ὥσπερ πῆγος ἔχων*, vellus concretionis aut vellus tanquam concretionem habeas, quod utrumque ineptum esse patet. Multo aptior significatio est, si Clemmium secuti priorem partem verbalem esse et a *πήγνυμι* petitam putamus, ut sit „cuius compressa, densa lana est“, ut *πηγεσι* idem valeat atque *πηκτός*. Huic sententiae officere dicas hoc, quod priores partes in *σι* desinentes activa semper significatione uti videntur: sed passiva prioris partis vis est etiam in *ἀεσίφρων*. Ceterum de significatione compositorum a verbali parte incipientium infra uberius disputabitur. — *Πρωτεσίλαος* a *πρῶτος* repeti non posse apparet; itaque assentior Clemmio, qui *πρωτεσι* ad verbum *πρωτεύω* revocat et e *πρωτεϝ-εσι* ortum putat. Principis est nomen, eadem ratione fictum ut *Ἀγησί-λαος*, *Ἀρχέ-λαος*, *Ἡγέ-λεως*, *Ἀρχί-δαμος* al.

Etiam in *Τελεσικράτης* Cyrenaei cuiusdam nomine apud Pindarum et *τελεσσί-φρων* Aeschyleo prior pars verbalis esse videtur, sed in *τελεσσιδώτειρα* Euripideo prior pars non potest nisi a *τέλος* petita esse.

Vocabulorum igitur modo examinatorum et formam et sententiam dativi continent haec: *διιπετής*, *διιπέτης*, *ἐγχεσίμωρος*, *Ναυσικάα*, et non nulla a *πασι* incipientia; cetera dativi significatione carent. Sed horum alia a stirpibus in *ι* desinentibus incipere intelleximus: *ἀργειφόντης*, *ἀργείλοφος*, *Ποσειδάων*, *Ποτιδᾶν*, *Ποτιδᾶς*; aliorum priorem partem esse verbalem: *πηγεσίμαλλος*, *Πρωτεσίλαος*, *Τελεσικράτης*, *τελεσσίφρων*, nec paucorum a *πασι* incipientium. Neutrorum igitur in ea quam instituturi sumus exemplorum enarratione ratio habenda erit.

Iam ipsa exempla enumerabimus. Et primum quidem eorum compositorum, quae *αι* vel *οι* in commissura habentia a locativis vel dativis primae et secundae declinationis inci-

pere videatur, apud Homerum quidem haud exiguus est numerus: sed apud posteros in usu non manserunt nisi *χοροι-τύπος* apud Pindarum, *ὁδοι-πόρος*, *ὁδοιπορέω* apud tragicos, apud Herodotum et Xenophontem etiam *ὁλοί-τροχος*, quae omnia dativi sententiam continent. Homeri sunt *ἰθαι-γενής*, *-μένης* n. pr., *Κλυται-μνήστρη*, *μεσαι-πόλιος*, *μιαί-φονος*, *ὁδοι-πόρος*, *-πορίη* h., *-πόριον*, *ὁλοοί-τροχος*, *Πυλοι-γενής*, *Πυλοι-μένης*, *χοροι-τυπία*, *-τύπος* h. Horum quoque maxima pars dativi significationem continet. Prorsus semovendum est *μιαί-φονος*, quod a verbo *μιαίνω* incipere persuasum habeo. De *Κλυται-μνήστρη* mihi nihil liquet; de *ὁλοοι-τρόχος* v. Roedigerum p. 76, quocum plane consentio, *ὁλοοι* esse locativum substantivi abstracti *ὄλοος*, a radice *ϝελϝ* deducti, ut *λᾶας ὁλοοιτρόχος* significet: „saxum quod circumvolutando currit." *Ἰθαιγενής* Boppius ad sanscr. *iha* „hic" revocavit, ut significet: hoc loco natus, *αὐθιγενής*, deinde: indigena, germanus, *γνήσιος*. Itaque veterior forma est *ἰθᾶιγενής*, inde autem factum est *ἰθαιγενής*, ut vidit Herzogius Jahrb. f. phil. u. paed. 1871 p. 297, ad analogiam aliorum in *-αιγενής* desinentium, ut *Θηβαιγενής*, *Κρηναιγενής* al. Difficilior quaestio est de *μεσαι-πόλιος* Hom. N 361, quod „semicanus" significare constat. Sed quomodo locativus explicandus sit, dubium est. Mihi maxime placet, quod Roediger profert p. 79: „at vertas *μέσαι* „mediocriter, modice", et huius locativi adverbii vi positi in comparationem advoces *ἰδίᾳ*, *λάθρᾳ*, *ἡσυχῇ* etc." Quamquam Roediger ipse hanc interpretationem reiicit, quum illam vocis *μέσος* significationem mediocritatis ab usu Homerico plane alienam esse dicat. Tamen haud scio an haec significatio sit in Ψ 574: *ἐς μέσον ἀμφοτέροις δικάζειν*; schol.: *ἐξ ἴσου*. Sed etiam si *μέσος* nihil significat nisi „medius", aptam sententiam effici puto. Aut enim est *μέσαι πόλιος* idem atque *ἐν μέσῳ ἥβης καὶ γήρως*, canus ea ratione quae decet medium inter virentem iuventutem et canam senectutem: aut *πολιὰς τρίχας ἔχων ἐν μέσῳ* vel *μεσηγὺ ξανθῶν*, i. e. canos capillos sparsos inter flavos.

Itaque ex omnibus horum compositis in uno *ἰθαιγενής* (et *Ἰθαιμένης*) locativi forma sine significatione locativi inest.

Veniamus ad ea composita, quae d a t i v i t e r t i a e d e c l i n a t i o n i s e t f o r m a m e t s e n t e n t i a m exhibent. Sunt autem haec:

Homeri	Hesiodi	Pindari	Aeschyli	Sophoclis	Euripidis
Ἀλκι-μέδων		Ἀλκι-μέδων			
ἀρηΐ-θοος -κτάμενος -φατος -φιλος	ἀρηΐ-φιλος		ἀρεί-φατος		ἀρεί-φατος
		γαστρί-μαρ- γος			
			δακρυσί-στα- κτος		
δι-πετής -πέτης h. -φιλος	δι-πετής				
δουρι-κλειτός -κλυτός -κτητή	δουρι-κλυτός	δορί-κτητος	δορι-κανής -λύμαντος -μαργος -πονος -τίνακτος -τμητος δουρί κλυτος -κμής -πηκτος	δορι-άλωτος -ληπτος	δορι-άλωτος -θήρατος -κτητος, -μανής -πονος
		ἐαρί-δρεπτος			
ἐγχεσί-μωρος		ἐγχει-βρόμος			
ἐντεσι-εργός					
κηρεσσι-φόρη- τος	κηρι-τρεφής				
Μηδεσι-κάστη					
Ναυσί-θοος -κάα -κλειτός -κλυτός		ναυσι-κλυτός -στονος -φόρητος			ναυσι πορος
ὀρεσί-τροφος	ὀρεσσι-νόμος	ὀρεί-κτιτος		οὐρεσι-βώτας ὀρεσσι-βάτης ὀρει βάτης	ὀρεσσί-γονος ὀρει βάτης -δρόμος -νόμος
Πασι-θέη	Πασι-θέη -θόη?				
τειχεσι-πλήτης					
Χερσι-δάμας					

Sequantur, quae dativi declinationis III. formam quidem exhibent, neque tamen significationem dativi haec:

Homeri	Hesiodi	Pindari	Aeschyli	Euripidis
Ἀλκί-νοος			ἀλκί-φρων	
Ἰφί-λεκος			ὀρει-θύσανος	
			δορί-γαμβρος	
		ἐγχει-κέραυνος		
				ναυσι-πομπός
ὀρεί-χαλκος h.	ὀρεί-χαλκος			
				τελεσσι-δώτειρα

Etiam leviter has exemplorum tabulas inspicienti in oculos incurrere oportet, quanto minor sit numerus eorum, quibus dativi sententia non inest, quam eorum, quibus inest. Si autem quis accuratius exempla congesta lustraverit et inter se comparaverit, intelliget, ea composita quae dativi forma sine sententia dativi utuntur, non incipere nisi ab iis vocabulis, quorum eaedem formae etiam in initio compositorum dativi sententiam continentium vel saepius usurpantur. Partes priores vocabulorum in secunda tabula positorum uno excepto τελεσσί-φρων Euripideo omnes in prima quoque tabula invenias. Itaque apud bonos auctores[1])

[1]) Alia est ratio recentiorum. Illi praeter illa vocabula ab antiquioribus adhibita etiam alia multa in priore compositorum parte exhibent, velut: ἄλγεσι, ἄνθεσι, ἔρνεσι, θέρει, μάχεσι, ποσσι, ἰχθύσι, ὕδασι, σαρξὶ (in σαρξι-φάγος, quod videtur corruptum esse ex latino *saxifragus*, cf. Plin. N. H. XXII, 21 [30]). In plerisque horum recentiorum compositorum (quae enumerata sunt una cum antiquioribus a Roedigero p. 64 sq. 68 sq.) sententia dativi non inest, ut in ἀλγεσί-δωρος dolorem afferens Opp., ἀλγεσί-θυμος animum laedens id. (nisi rectius priorem partem ab ἀλγύνω repetas), ἀνθεσι-πότητος flores circumvolitans, Antiphan. ap. Ath., ἀνθεσί-χρως floream cutem habens, Matro ap. Ath., ἐρνεσί-πεπλος ramos pro veste habens Opp., μελεσί-πτερος „gesangesflügel habend" (Buttm. A. Gr. II, p. 460), Anth., ὑδασι-στεγής aquam defendens Phil. Thess. in Anth. 6, 90, ἰχθυσι-λῃστήρ pisces capiens Leon. Tar., al., quamquam composita ab iisdem vocabulis ἄλγεσι, ἄνθεσι, ἔρνεσι, μέλεσι, ὕδασι, ἰχθύσι incipientia, quae dativi sententia utantur, non extant. Ceterum etiam hoc animad-

dativi casus forma ad composita, quibus dativi sententia non inest, fingenda non adhibita est nisi coram vocabulorum, quae etiam in compositis dativi casus sententiam priore membro continentibus adhiberi soleat. Accedit, quod vocabulorum dativo casu ad componendum adhibitorum numerus omnino neque apud Homerum magnus est, et apud posteros satis exiguus.

Quae quum ita sint, meo mihi iure censere videor, alterum genus dativi formam sine dativi significatione continens ad analogiam alterius generis fictum esse, quum homines assuefacti essent, harum ipsarum vocum admodum paucarum dativam formam in componendo adhibere, nec iam eius usus causam satis perspicerent, praesertim quum aliis compositis dativi vim inesse sine forma dativi viderent. Quod autem Roediger talia „iam Homeri et Pindari aetate“ fieri potuisse negat, quam „in tam spectata vetustate“ homines falsae analogiae auctoritate a recta via depelli nondum potuerint, ea vereor ne nimis inconsiderate dicta sint. Nam ut taceam de Pindaro Graeciae clarissimis temporibus vigente, sermonem Homericum longissimo demum epicorum priscorum, Orphei, Lini, Thamyridis et quorum nomina interciderunt innumerabilium usu et procreatum et excultum esse, quis est qui nesciat? Et quantum temporis inter haec quibus epica poesis exculta est tempora et prisca illa, quibus Graeca et lingua et natio a cognatis secerni coepit, intercessisse putandum est? Nam Homerus quidem, ut litterarum Graecarum aetas est, senex, ut linguae Graecae saecula numerantur, adolescens debet videri. Antiquissimam autem esse etiam hanc componendi rationem, qua casus nominum declinati adhibentur, supra iam demonstravimus p. 32. Putasne igitur, homines Homeri etiam tempore earum vocum, quae multis ante saeculis nata sunt,

---

vertendum est, quod stirpium in ες dativi apud Homerum adhuc retinuerunt antiquiorem formam εσι (fortasse propter similitudinem compositorum a verbali parte in εσι desinente incipientium): a posteris aut usitata dativi forma adhibita est ὄρει, ἄρει, ἔγχει, aut dativus pluralis ὄρεσσι: et apud recentiores demum illas formas Homericas ἄνθεσι, ἄλγεσι cet. iterum invenias, ex Homeri, si mihi credis, anxia et imprudenti imitatione nata.

originem satis clare perspexisse, ut falsa analogia abduci non possent? Ego non credo.

Sed **Roediger** p. 67 sq. alia ratione eorum compositorum, quorum prius membrum in *ιος* desinit, formam natam esse putat. Existimat enim *σ* **finale thematum in** *ις* **propter quandam cum** *ι* **vocali cognationem** (quae vocalis mutas gutturales et dentales praecedentes mutare solet in *σ*), **quotiescunque in compositis congrederetur cum consona, et opus esset vocali compositiva,** *ι* **potius quam** *ο* **sibi ascivisse,** „quasi assimilatione progressiva.“ Quam *σ* vocalis cum *ι* cognationem quamquam non nego, tamen illam sententiam probare nullo modo possum. Non magni facio illud, quod, quum *ι* vocalis consonantem praecedentem mutare soleat in *σ*, etiam *σ* sibi quodam modo procreare *ι* falsissime Roediger concludit (cf. quae supra dicta sunt p. 31); mitto etiam, quae supra universe de vocali compositiva exposuimus: sed maximi momenti est hoc, quod ipsa *σ* consonantis natura ea est, ut cum consona vel sequenti vel antecedenti arctissime connexa sit et cohaereat, neque modo non egeat vocali interponenda, sed eam ne admittat quidem. Omnino in Graeca lingua vocales inter duas consonantes facilioris pronuntiationis causa rarius interponuntur, quum eas non admittant nisi liquidae *λ ρ* et rarius etiam nasales *ν μ* (id quod in ipsa natura sonanti vocalibusque similiore harum consonantium positum est): *ἀρ-ά-χνη, Ἀρ-ε-πυῖαι, ὀρ-ο-θύνω, ἀλ-ε-γεινός, ἀρ-ή-γω, μαλ-α-κός, ἀστέλ-ε-φος, ἄφ-ε-νος, πλόκ-α-μος, κιν-α-χή* al. (cf. Curtius Et.[2] 656 sqq., Leo Meyer Vergl. Gr. I, 221, Kühner, Ausf. Gr. I, § 45, p. 149 sq.). Hae igitur consonantes non tam enuntiandi difficultate coactae, quam ipsam naturam semivocalem sequentes vocales sibi procreant: *σ* nunquam admittit eiusmodi vocales, quum potius ea consonans sit, quae arctissime aliis inhaereat. Quod Graeci sensisse videntur, quum mutis cum *σ* iunctis propria signa invenirent *Ψ Ξ Z;* ac graviori etiam testimonio est, quod in non nullis linguis *σ* cum mutis sequentibus coalescit, ut novus omnino nascatur sonus. Sic ex Germ. vet. *skip, fisk, skôni, skeran* facta sunt nostra *schiff, fisch, schön, scheren*, sic Latinorum *sc* ante *e* et *i* vocales apud Italos recentes eundem sonum habet atque nostrum *sch:* e. gr.

scena, *scienza*, sic denique Aricum *sk* apud Indos factum est tenuis aspirata palatalis *ch*:[1]) *chid*, lat. *scindo*, graec. *σχίζω* (*σχιδ-jω*), got. *skaid*; *gachati*, gr. *βάσκει*; eodemque modo zend. *jaçaiti* (Bopp, Vgl. Gr.[2] § 14. 37.).

G. Meyer (p. 92) illud *σι* genuinam suffixi *ες* in fine compositorum saepius usurpati formam esse putat, Schönbergium secutus, qui in libello: „Über griechische composita, in deren ersten gliedern viele grammatiker verba erkennen. Mitau 1868“ suffixi *as* Indici antiquiorem formam esse *asi* contendit, quae servata sit in vocabulis *sânasi*, *dharṇasi*, *parṇasi*, *varṇasi*; Benf. Vollst. Gr. 150. Sed haec altius repetita sunt: mihique mea sententia supra prolata multo et simplicior et aptior esse videtur.

Pauca denique addam de iis vocibus, quae in commissura *ι* vocalem habent, quum prius membrum sit thema secundae vel primae declinationis: *γεισί-πους*, *χαλκί-οικος*, *φοξί-χειλος*, *μυρί-πνους*, *μυστί-πολος* al. Quorum pars ita est explicanda, ut primum membrum sit adiectivum in *ιο*, cuius *ο* amissum est, ut *χαλκί-οικος*, *μεσί-αυλος* (ex *μεθί-αυλος* natum, quum *μεθjος* antiquior forma sit vocis *μέσσος*). Etiam ante consonam *ο* expulsum esse in *Ἀσκληπι-γένεια*, *Διονυσι-κλῆς*, *θηρί-βορος* (nisi ad analogiam vocum *θηρι-άλωτος*, *θηρί-μαχος* fictum est), *γεισί-πους*, ut in Homerico *κραται-γύαλος* pro *κραταιο-γύαλος*, probavit Roediger p. 43; cf. Feddium p. 43, Weissenbornium p. 9. — Deinde sunt quae aliorum analogiam sequuntur, velut *μυστι-πόλος* (a voc. *μύστης*) ad exemplum horum: *μαντιπόλος*, *νυκτιπόλος*, compositum videtur (Lob. par. ad Phr. 666). „*Τοξί-κρατος* (sive potius *Τοξικράτης*) et *Τοξι-κράτη*, quae Schneiderus enumerat, primum nomina propria sunt, quorum licentia maior, deinde similitudine futuri [rectius dixisset: compositorum sigmaticorum a verbali parte incipientium] aures fallunt, ut *γεισίπους*, *φοξίχειλος*,

[1]) Cuius mutationis aliam videas explicationem apud Ascoli, Vorträge üb. Glottologie, bd. 1, Vorlesungen üb. d. vgl. lautlehre des skr. gr. lat., übs. v. Bazzigher u. Schweizer-Sidler, p. 172 ff. Aspirationem consonae palatalis noli mirari, quum saepius sibilanti *s* effici docuit A. Kuhn in diarii sui tom. III. p. 321 ff. 426 ff.

ἐξιβόρος" Lob. ibid. *Φοξί-χειλος* fortasse similitudinem vocum a φυξι incipientium secutum est: *φυξί-μηλον*, *φυξί-πολις*, *φύξιμος*.

Ἑρμησιάναξ poetae elegiaci altero ante Chr. n. saeculo nomen et *Ἑρμησί-λεως* nomen Chii cuiusdam Sophoclis aequalis (Ion ap. Athen. XIII, 603) potius ad verbum aliquod revocaverim, quam cum Roedigero (p. 94) nominativum *Ἑρμῆς* ibi latere crediderim. Nam ut concedam, nominativum casum non nunquam in componendo adhibitum esse, tamen primum sic tantum adhiberi poterat, ut etiam sententia posceret nominativum: *Ἱεράπολις*, *Νεάπολις* al., deinde non debebat adiungi ι vocalis, qua species dativi decl. III. nasceretur. Hoc adeo pugnat cum sententia, ut Graecorum urbanitatem nullo modo tulisse existimem. Sed difficile est, verbum idoneum indagare. Fortasse ab ἑρμάζω „fulcio" repetenda sunt, ut sint pro *Ἑρμασίλεως* et *Ἑρμασιάναξ*, et ad analogiam vocum *Ἡγησιάναξ*, *Τιμησιάναξ*, *Λυσιάναξ*, *Ἀγησίλαος*, *Μνησίλεως*, *Στησίλαος* al. corrupta. Sed potuit etiam ab *Ἑρμῆς* derivari verbum ἑρμάω sive ἑρμαίνω, unde ἑρμηνεύς et ἑρμηνεύω fortasse deducta sunt.

CAPUT II.

De priore parte verbali.

De verbali parte priore nominum compositorum quum viri docti diversissimas protulerint sententias multumque et acriter disceptatum sit, maxime iuvamur Clemmii dissertatione docta diligentique, qui priorum sententias accuratissime perpendit, et praecipue gratum omnibus eandem quaestionem aggressuris munus perfecit, quod omnia eiusmodi composita collegit et in ordines disposuit, eaque ratione quaestionis materiam totam omnibus ante oculos proposuit. Tamen vellem scriptores, quorum quodque vocabulum est, accuratius ascripsisset, neque satis habuisset, ea tantum signare, quae Homeri et Hesiodi sunt. Quae quum ita faciat, existimare videtur, aut Homeri Hesiodique composita sola digna esse, quae in discrimen vocentur, aut ceterorum, cuiuscunque scriptoris aetatisve sint, rationem inter se non

esse diversam, sed ab Homericis Hesiodeisque tantum ea differe. Quae quam falsa sint, vix opus est exponere. Primum enim etiam apud posteriores Homero scriptores vocabula antiquissima inveniri posse, praecipue e dialectis sumpta, neminem fugit. Deinde quanto opere posteri inter se sermone differant, notum est. Quam omnibus modis diversa est dicendi ratio scriptorum post Alexandrum magnum ab iis qui ante illum fuerunt! Quae ratio inter hos et illos intercedens quum in omnibus aliis et sentiendi et dicendi generibus conspicua, tum in compositis maximi momenti est, eamque ad nostram quaestionem inprimis pertinere, supra p. 12. 14. 25. 41 demonstravimus. Illis prioribus quasi sensus quidam et caeca conscientia, quae esset dicendi norma et regula, insita erat, et quam in omni dicendo, tum in compositis fingendis illi morem et analogiam a maioribus per usum traditam sincere sequebantur: his iam ille naturalis sensus non suppeditabat, quam ob rem aut ab Homero tragicisve toti pendebant, eorumque dicendi genus ad amussim reddere laborabant, aut novi et insolentis sermonis studio abrepti vel in dialectorum quarumvis reconditissimas voragines sese immittebant, vel audacter nova fingebant ad analogiam non dicendi usu traditam, sed ab ipsis ex antiquioribus derivatam, ut de his maxime valeat, quod de omnibus Graecis scriptoribus Herzogius Jahrb. f. ph. u. p. 1871 p. 291 affirmat: „dass die grössere zahl der in der litteratur, speciell bei den dichtern vorkommenden zusammengesetzten nomina von dem schriftsteller selbst gemacht ist, also auf analogien beruht, die er **sich selbst zurechtgelegt** hat.“ Quid dicam de vocabulis a lexicographis tantummodo traditis, modo ex optimis scriptoribus decerptis, modo inter dialecticas glossas Alexandrinorumve commenta referendis? Iam satis patet, quanti in nostra quaestione intersit, ut bene sciamus, cuius scriptoris quodque vocabulum sit; et cur locupletissima compositorum copia a Clemmio congesta minus utilitatis et auxilii afferat accuratius quaerentibus.

Nominum compositorum a verbali parte incipientium duo sunt genera formatione diversa, quae Clemmius bene **asigmata** et **sigmatica** vocavit. Alterorum enim priores partes formam habent stirpium verbalium aut merarum (aoristi secundi), aut auctarum (praesentis), vel vocalibus *ι ο ε* cum membris posterio-

ribus coniunctarum: *δακ-έ-θυμος, λαθ-ι-κηδής, ἠερ-ό-φωνος; ἀ-κειρ-ε-κόμας, ἀπτ-ο-επής, φαιν-ο-μηρίς*, vel nulla vocali interposita: *ἀγέρ-ωχος, μεγ-άγκεια, τανύ-γλωσσος*. Alterius generis priores partes continent easdem stirpes syllabis *σι* vel *εσι* (ante vocales *σ* vel *εσ*) cum posterioribus coniunctas. Ad has igitur formas explicandas multae rationes a viris doctis prolatae sunt, quas recensuit Clemmius. Atque maximam quidem eorum partem argumentis probabilibus refutavit: Benaryi (Röm. Lautlehre p. 138), Pottii (Etymol. Forsch. I², 90; II², 393) Boppii (Vgl. Gr. III², p. 439 sqq.) sententiam, composita sigmatica a substantivis abstractis in *σι* (nom. *-σις*) incipere existimantium (Cl. p. 45 sqq. 137 sqq.); Iustii (Zus. d. n. p. 45), qui omnibus compositis a verbali parte incipientibus inesse putat participiorum stirpes debiles, at in scr. *bharad-vâja*, *kshayad-vîra* (p. 67 sqq.); Grimmii (Deutsche Gr. II, p. 976 sqq.) et Weissenbornii (De adj. comp. Homericis, diss. Hal. 1865, p. 12 sq.), qui ea ab imperativis incipere volunt, ut germ. *hebe-strît, rûmez-lant, habe-dank*, francog. *baise-main*, *porte-chaise, garde-robe*, *tire-balle*, ital. rec. *bacia-mano*, *guarda-donna* al. (Cl. p. 80 sqq.); denique Berchii (Ueb. d. comp. d. nomina in d. Hom. gedd. p. 7 sqq.), qui *σ* compositorum sigmaticorum „ein wurzeldeterminativ“ (Curt. Et.² p. 58 sq.) esse contendit (Cl. p. 95 sqq.). Sed non refutavit me iudice, quod Boppius (Vgl. Gr. III, 440) de asigmatis, Leo Meyer (Vgl. Gr. II, 328) de sigmaticis censet, priorem partem esse adiectivum, id quod accuratius mox demonstrabimus, nec quae ipse profert, satis probabilia sunt.

Existimat enim, priorem horum compositorum partem esse stirpem verbalem[1], asigmatorum stirpem meram vel stirpem praesentis, sigmaticorum stirpem aoristi primi[2]), quae cum posteriore membro coniunctae sint sive vocali compositiva *ε o ι* inserta sive non inserta (p. 105 sq. 129 sq.). Sed, ut mittam, quae supra de vocali compositiva dixi (p. 3 sqq.), stirpes ver-

---

¹) Quae etiam Buttmanni A. Gr. II, 462, et Lobeckii par. ad Phr. 769 sententia fuit.

²) Similiter Curtius Gr. § 358, Erläut. p. 143 haec composita explicavit.

bales einsmodi ut Clemmius putat, unquam fuisse nego. Quod etsi inconsideratius dictum videatur, tamen veri simillimum esse iam demonstrabo.

Primum assentior quidem Clemmio, compositorum asigmatorum priores partes esse stirpes easdem, quae vel in praesenti vel in aoristo eorum verborum insunt, unde illae priores partes petitae sunt: *φερε* idem esse in *φερε-στάγγελος* et in *φερε-σι*: sed hanc stirpem verbalem esse nego. Nempe grammatica comparativa nos docet, stirpes verbales omnino nunquam extitisse, nisi forte ipsas radices sic vocaveris, quae nec nomina nec verba revera fuerunt, sed utrumque esse potuerunt. Illud autem tempus, quo radicibus adhuc in loquendo usi sunt Arii veteres, tam remotum est, ut omnino omitti possit in nostra quaestione. Sed ubi primum e radicibus stirpes derivari, verbique formae stirpium ope fingi coeperunt, omnes stirpes fuerunt nominales, omnisque verborum flexio ad stirpes nominales revocanda est. Itaque sanscr. *bharâmi*, *bharasi*, *bharati*, gr. *φερομι*, *φερεσι*, *φερετι* sunt *bhara-ma*, *bhara-tva*, *bhara-ta*, i. e. ferens (vel lator, ut *-φορος* et *-fer* in posterioribus compositorum partibus) ego, ferens tu, ferens is: eodemque modo ceterae verbi formae omnes fictae sunt. Stirpes sunt nominales, plerumque nihil nisi agentem significantes, verbique notio his stirpibus ipsis inest nulla, sed accedit demum suffixis subiecti personam significantibus additis[1]), ut stirps nominalis pro praedicato sit, pronomen personale suffixum pro subiecto. Similis est formatio futuri: *dâ-syâmi*, (*δωσέω* dor. dial.) = dator ero, aoristi primi: *a-dik-sham*, gr. *ἔ-δειξ-σα*, lat. *dic-si*, = monstrans, dicens fui: quin etiam postquam nationes discesserunt, hac ratione novae formae verbales creatae sunt, veint germ. *nasi-da*, *nasi-dedun*, lat. *quaerebam* = *quaere-fuam* = quaerens eram. Nolo longus esse de re nota: certe hoc inde apparet, quamquam propriae stirpes verbales omnino non sint, tamen eandem stirpem inesse praesenti *φέρεις* = *φερε-σι* et composito *φερε-*

---

[1]) verbi notionem puram et ab omni relatione solutam sero demum populis Indogermanicis inventam esse, testimonio est etiam hoc, quod infinitivi non prius ficti sunt, quam linguae discesserant, eamque ob causam in aliis linguis alia forma utuntur.

στάφυλος, nimirum thema nominale *φερε*, agentem significans. Quas Clemmius igitur stirpes verbales vocat, eae revera sunt stirpes nominales; quae quum actorem significent, et substantiva esse possunt, et adiectiva, itaque haec Clemmii sententia ad idem redit, quod a Boppio prolatum improbaverat. Quanquam hoc quidem Clemmio concedo, posteros mox illius formarum verbalium originis plane oblitos esse, ut Graeci iam multo ante Homeri tempora stirpis nominalis *φερε* et in praesenti *φερε-σι*, *φερε-τε* et in composito *φερε-στάφυλος* latentis plane nescii in priore eiusmodi compositorum membro nihil sentirent nisi verbalem aliquam satis obscuram scilicet et indefinitam significationem eamque ob causam priores compositorum partes ab ipsis verbis derivarent. Sed hoc ad Clemmii sententiam comprobandam adhiberi nequit. Hoc enim postero tempore stirpes omnino nullae exstabant, sed homines nova non fingebant nisi ea qua antiquitus traditum erat ratione, vetustiorum analogiam tantum secuti: nos autem de origine huius formationis quaerentes ad ea tempora redire debemus, quibus illa primum inventa et exculta est, quibusque stirpes illae adhuc vividae orationisque particulae sui iuris erant. Illo igitur tempore eadem stirps nominalis agentem significans et ad verbi formas et ad priorem compositorum partem fingendam adhibebatur: illo tempore stirpes verbales nullae erant. Posteriore certe tempore homines illius originis obliti priores compositorum partes ab ipsis verbis derivabant, verbalique tantum significatione iis utebantur; tamen inde colligi non potest, tum has priores partes fuisse stirpes verbales, quum hoc posteriore tempore stirpes omnino essent nullae.

Compositis **sigmaticis** Clemmius inesse vult stirpem aoristi primi, sive potius audiveris debilis. Sed quaenam est ista stirps aoristi? Clemmius hanc esse stirpem ait, „quae per *ες* radicem a stirpe verbali propagata sit“ (p. 110). Sed magnopere vereor, ne hanc revera aoristi primi stirpem esse omnino non possit evincere. Certe diversa est sententia virorum in hoc litterarum genere illustrissimorum, Boppii (Vgl. Gr.[2] § 542, p. 423 sq.), Schleicheri (Comp. § 297), Benfeyi (Üb. den opt. p. 142), qui omnes illas verbales formas compositas, ut *dâ-syâmi*, *a-dik-sham*, *λέ-λυ-κα*, *ἐ-λύ-θην*, *audi-vi*, *quaere-bam* sic fictas

esse censent, ut ad stirpem, quae priore parte continetur, non accedat radix aliqua vel stirps verbi auxiliaris, et nascatur stirps composita, cui iam addantur suffixa personalia, sed ut forma quaedam declinata verbi auxiliaris illi stirpi adiungatur: „Sanskr. *bhavi-shyâvas* ist demgemäss nicht aus zwei wurzeln *bhû* und *as* verbunden, sondern eine zusammensetzung des höchst wahrscheinlich als wort gefassten *bhû* [rectius dixisset: nominis verbalis *bhavi*] mit der ersten person dualis des futurums von *as*, so dass das bildungsprincip wesentlich identisch ist mit demjenigen, nach welchem in den romanischen sprachen das futurum gebildet ist“ (Benfey l. l.). Et mihi quidem hi viri recte iudicasse videntur. Illo enim tempore, quo hae compositae verbi formae fictae sunt, formas verbales non iam extitisse nisi suffixis personalibus cum stirpe arcte cohaerentibus flexas persuasum habeo. Nam quanquam certissimum est, suffixa haec personalia quondam sui iuris fuisse, verbaque quondam ita declinata esse, ut stirpi apponeretur tantum pronomen personale, tamen ab illo prisco tempore hanc aetatem, qua compositae verbi formae fictae sunt, tanto intervallo distare probavit Curtius (Chron. p. 335 sqq.), ut etiam tum suffixa illa a stirpibus solvi potuisse vix veri sit simile. Sed res ad liquidum nondum perducta est.

Accedit vero aliud, quod nos movet ad Clemmii sententiam reiiciendam. Aoristi hoc modo, id est per formam aliquam verbi *as* stirpi adiunctam formati et in Sanscrita lingua et in Graeca et in Bulgarica vetere stirpi non adiungant nisi syllabam *sa*, nulla vocali interposita. Sic ficta sunt sanscr. *a-taut-sam*, *a-taut-sis* cet., *a-dik-sham*, *a-dik-shas* cet.; graec. *ἔ-λυ-σα*, *ἔ-κλεπ-σα*, *ἔ-κερ-σα* cet.; bulg. vet. *jasu* (ex *jad-sam*), *rěchŭ* (ex *rak-sam*) al. Pauca tantum verba sanscrita, legem sanscritae linguae propriam (cf. Schleicher, Comp. § 15, c) secuta, *i* vocalem coniunctivam assumunt: *a-ved-i-s*, *a-ved-i-shma* cet.: apud Graecos eiusmodi vocalis nunquam reperitur. Sed compositorum Graecorum priores partes saepe *σι* syllabam per vocalem *ε* cum stirpe antecedenti iungunt ut *ἑλκ-ε-σί-πεπλος*, *ταμ-ε-σί-χροος* al., quin etiam haec composita, quae in commissura *εσι* habent, apud Homerum usitatissima sunt (Clemm. p. 30 sq.), postea rarius usurpantur.

Quid igitur? Si compositorum permulta et ea quidem antiquissima inter σ et stirpem interponunt ε vocalem, aoristi vero nunquam, etiamne putabimus illis compositis stirpes aoristorum contineri? Nihil expedit, quod Clemmius p. 115 in plusquamperfecto ε vocalem radicis as (gr. ἐς) servatam commemorat: ἐ-τεθήπ-ε(σ)α, ἐ-τεθήπ-εσαν: hoc in nostrum usum verti ea tantum conditione posset, ut aoristorum quoque nonnulli servassent illud ε. Sed ipse Clemmins unum tantummodo aoristum eius rei testimonium afferre potest: dicit enim in aoristo ὤλεσα servatum esse ε radicis ἐς. At in hoc virum doctum fefellit studium opinionis suae probandae. Immemor fuit futuri ὀλέσω, perfecti ὀλώλεκα, quibus docemur, hoc ε non esse aoristi proprium, sed aut stirpis cuiusdam ὀλε exitum, aut vocalem post liquidam, ut saepius (Curt. Etym.[2] p. 658, cf. quae supra diximus p. 43), ultro insertam. Praeter hoc autem nullum verbum (exceptis nimirum verbis puris) ante σ aoristi habet vocalem; et in ipsis aoristis hanc vocalem stirpis aoristi propriam (ut Clemmius putat) prorsus evanuisse, servatam esse in compositis, id veri tam dissimile est, ut ego quidem mihi persuadere non possim.

Denique non omittendum videtur, quod aoristi primi thema semper desinit in α vocalem, quae tantopere cum aoristi natura cohaeret, ut in omnibus fere modis servetur (λύσαιμι, λῦσαι, λύσασθαι, λυσάτω). Hoc igitur α illarum quoque aoristi stirpium, quas Clemmius quondam extitisse putat, terminationem fuisse oportet. Composita autem nostra nunquam α in commissura exhibent, sed (paucissimis quae ε vel ο habent exceptis) semper ι, quod sola σ consonantis praecedentis vl, ut Clemmius p. 135 putat, ex α natum esse non credo. Minus etiam Clemmio concedo, analogiam substantivorum verbalium in σι desinentium illius mutationis causam fuisse, primum quod illina generis substantiva in priore parte compositorum raro tantum adhibentur, deinde quod illa substantiva prioribus compositorum membris hac ipsa ι vocali maxime ἀνάλογα sunt, itaque haec vocalis non poterat illorum analogia effici.

Ceterum etiam in hoc compositorum genere distinguendum est inter priscum tempna, quo haec fingendi ratio primum adhibita est, et posterius, ad quod per longum usum modo est tradita. Posteriore enim tempore homines illarum formarum

originis veraeque naturae oblitos, quum priores illas partes aoristis primis simillimas esse viderent, ad horum similitudinem nova finxisse admodum probabile est: inde autem sententiae suae auxilium Clemmius petere non potest, quum de hoc genere compositorum idem valeat, quod de asigmatis supra p. 49 exposui.

Iam vero prolatis, quae contra Clemmii sententiam dicenda erant, ad Boppii Leonisque Meyeri sententias accedamus, et quo iure a Clemmio impugnentur examinemus.

Atque Boppii quidem verba sunt haec (Vergl. Gr.[2], III, 440): „In den compositis wie *φυγόμαχος*, *φυγόπτολις*, *λιπομήτωρ*, *λιπόναυς*, *λειπόγαμος*, *φιλόβοτρυς*, *φιλόγαμος* stimmen die vorangestellten adjectiva hinsichtlich ihres bildungssuffixes zu denjenigen, welche wir oben, (§ 914) am ende von compositen gesehen haben[1]), und da sie meistens die bedeutung des particip. praes. haben, so mögen sie den oben erwähnten vedischen wie *tarad-dveshas* superans inimicos gegenüber gestellt werden. Das *ε* von formen wie *ἀρχέπολις δακέθυμος*, *φερέπονος* ist wahrscheinlich nur die verdünnung eines o, wie im vocativ, und somit *ἀρχε* von *ἀρχέπολις* dasselbe wort, was den schlussbestandteil von *πολίαρχος* ausmacht, und im flexionslosen vocativ ebenfalls in der form *ἀρχε* erscheint. Die vorangestellten adjectiva lieben auch in der wurzel den leichten vocal, daher *φερε*- im gegensatz zu -*φορο*, z. b. *φερεστάφυλος* zu *σταφυλοφόρος*. Auch das *ι* von *τερπι* und *ἀρχι* in *τερπικέραυνος*, *ἀρχικέραυνος*, *ἀρχιθάλασσος*, *ἀρχίζωος* etc. dürfte wol nichts anderes als die schwächung eines *ο* = scr. *a*, lat. *o* der zweiten declination sein, und somit auf demselben princip beruhen, worauf im lateinischen z. b. das verhältnis von *coeli-cola* zu *coelo-cola*, wie man erwarten könnte, wenn das latei-

[1]) ubi Boppius de adiectivis suffixo *a*, gr. *ο* formatis agens, „im sanskrit, inquit, sowol als im griechischen kommen die adjectiva dieser bildungsart vorzugsweise am ende von compositen vor, und zum teil haben sie sich in den beiden sprachen im isolierten gebrauch entweder nicht erhalten, oder sind vielleicht niemals einfach gebräuchlich gewesen. So erscheint *damá* bändigend im sanskr. nur in dem compositum *arin-damas* feindbändigend, und das entsprechende griech. *δαμο* nur in *ἱππόδαμος*."

nische nicht am ersten gliede von compositis die äusserste schwächung des endvocals liebte."

Quae de *α* vocali in *ι* mutata dicit, ea falsa esse Clemmio (p. 62) facile concedimus, quidque ea de re sentiamus, supra iam (p. 30 sq.) demonstravimus. Etiam quod *ι* vocalem ex *ο* correptam esse dicit, veram non esse recte Clemmius p. 61 monuit, quum *ι* in commissura horum vocabulorum antiquius esse, *ο* vero posteriore demum tempore, ex analogia compositorum nominalium in eius locum surrepsisse exemplis doceamur. Sed haec non sufficiunt ad refellendam Boppii sententiam, qua priores illas partes a d i e c t i v a esse censet. Nam *ι* non minus quam *ο*, ut in aliis multis formis, sic hic quoque ex antiquiore *α* propagatum esse apparet. Stirpem adiectivi *φορο* eandem esse atque stirpem praesentis *φερε* arguit forma *bhara*, unde utraque descendit: eademque diversitas est inter stirpem adiectivam *φερε* in initio compositorum positam et stirpem adiectivam *φορο* in fine compositorum. Cuius diversitatis quae causa sit, id quidem infra investigabimus, nunc sufficiat, et *φερε* et *φορο* stirpes nominales agentem significantes esse, ab una forma *bhara* propagatas.

Difficilius expediendum videtur, quod ad extremum p. 63 sq. Clemmius contra Boppium profert. Monet enim, et a d i e c t i v a s i m p l i c i a e t n o m i n a v e r b a l i a i n f i n e c o m p o s i t o r u m a d h i b i t a a b i p s i s r a d i c i b u s a u t c e r t e a p u r i s s t i r p i b u s v e r b a l i b u s d e r i v a r i, p r i o r e s p a r t e s v e r b a l e s s a e p e p r a e s e n t i u m s p e c i e m e x h i b e r e, s t i r p e a m p l i f i c a t a. Itaque *φαινο-μηρίς* male congruere cum adiectivo *φαινός*, *δάμν-ιππος* cum *Ἱππό-δαμος*. Hoc sane sententiae nostrae refragari videtur, nec multum iuvamur compositis passim occurrentibus, quorum posterior pars stirpem praesentis continet, velut *πολύδαμνα* Hom., *ὑποταμνόν* hymn. Cer., *τοξοδάμνος*, *χορόβοσκος*, *εὐπειθής*, *τοξοτευχής* Aesch., *πολύβοσκος*, *ἀπειθής*, *παμπειθής* Pind., *ἀπειθής* Theogn. Soph., *ὑπόλειπος* Herodot. Sed minoris illam rem pendes his quae deinceps prolaturus sum perceptis. Primum ipsa hac re comprobatur, quod etiam aliis de causis valde veri simile est, e a c o m p o s i t a, q u o r u m p o s t e r i o r p a r s v e r b a l i s e s t, m u l t o a n t i q u i o r a e s s e, q u a m q u a e a v e r b a l i

parte incipiunt. Illa enim omnibus familiae indogermanicae linguis sunt communia, haec praeter linguam Graecam non invenias nisi in Indorum Bactrorumque linguis[1], quas paene unius linguae dialectos propter miram necessitudinem vocaveris. Et apud Indos Bactrosque plane alia ratione haec composita formantur quam apud Graecos, sic, ut prior pars sit participii stirps debilis vel integra vel mutilata (Iusti p. 106 sq.): sanscr. *kshayad-vira*, *bharad-vâja*, bactr. vet. *frâdadh-gaêtha*, *jit-asha*. Graecorum composita a verbali parte incipientia eodem modo formata esse, Iustius quidem affirmavit, sed quum ab aliis tum a Clemmio refutatus est. Quum igitur Graecae componendi rationis in hoc verborum genere cum sanscrita et zendica communitas nulla sit, sequitur, hoc compositorum genus apud utrumque populum tum demum esse inventum, quum a ceteris secessisset. Atqui illud compositorum genus, quod verbali parte finitur, omnibus linguis ariis est commune, itaque multo prius inventum est, quam hoc a verbali parte incipiens. Iam quum in illo non inveniamus nisi stirpes meras, in hoc etiam stirpes amplificatas (i. e. praesentis), falsane erit conclusio, illud genus eo tempore natum esse, quo stirpes auctae aut omnino nondum extabant, aut rarius adhuc adhibebantur? Sed accedit aliud. Adiectiva verbalia in fine compositorum adhibita quum declinationis signa casuum suffixa sibi adiungere deberent, adiectivis veris similiores videbantur: in priore parte notio verbalis, quae in omnibus nominibus actoris initio fuerat (ita ut in sanscrita lingua vel accusativum regere possint) vividior mansisse videtur, quin apud posteros etiam praevaluisse, quibus insuetum esset, accusativum ab adiectivo pendere (nam longe plurimorum id genus compositorum posteriores partes accusativi a priore parte pendentis significationem habent), quique stirpes integras nullis flexionis signis additis non amplius nossent. Quam ob rem posterior compositorum pars etiam forma adiectivis sui iuris magis adaequabatur, in prioribus membris magis luxuriabant fingentium ingenia, ut ubi primum haec for-

---

[1] nam germanica et romanica ab imperativis incipientia, ut *hebestreit*, nec vera composita sunt, eamque ob causam hoc loco omitti possunt, et multo recentioris aetatis esse constat.

modi ratio per aliqua saecula usu propagata est, analogiam verborum ipsorum tantum secuti, stirpes nominum actoris in prioribus compositorum membris ponendas a quibusvis formis verbalibus repetebant, etiamsi nisi coniugationis signo addito non in usu essent. Itaque e. c. ex radicis *φαν* praesenti *φαίνω* repetebant stirpem *φαινο* et fingebant *φαινο-μηρίς*, quamquam adiectivum *φαινός* non extabat. Quid si putaremus, ea composita, quorum priores partes meras verbi stirpes exhibent, antiquiora esse, quorum analogiam prave secuti recentiore tempore etiam stirpes praesentis amplificatas ad componendum adhibuissent homines?[1]) Qui quum genuinae priorum partium vis obliti eas esse adiectiva actorem significantia nescirent, et verbalem

[1]) Huic sententiae adiumento est, quod nomina composita a stirpibus praesentis amplificatis incipientia apud scriptores antiquiores satis rara sunt, frequentius apud recentiores tantum inveniuntur. Homeri sunt: *μισγ-άγκεια, εἰλί-πους, ἀστερ-οπής;* Pindari *φθιν-οπωρίς, φθινό-καρπος, ἀ-κειρε-κόμας;* Hymni *φαινο-μηρίς;* Aeschyli *πειθ-άνωρ* et *πείθ-αρχος;* Sophoclis *μελλό-γαμος, μελλό-νυμφος, μελλό-ποσις;* Aristoph. *μελλο-δειπνικός;* Anaxandr. *ἐπι-χαιρέ-κακος;* Thucydidis et Herodoti *φθινόπωρον;* Aristotelis *φθινοπωρινός, μελλί-πταρμος, ἐπι-χαιρέ-κακος;* Hippocratis *λειπο-θυμία,* Polybi medici *φθισ-ίδρως,* Epicuri *σαινί-δωρος;* Hesiodi, Euripidis, Platonis, oratorum nullum. Recentiora sunt haec: *λειπ-ανδρία* Strab., *πειθήνιος* Plut., *κακιζό-τεχνος* Paus., *λειπο-γνώμων, ὀξύ-στομος* Luc., *λειπο-δρανής* Aretae., *χαιρέκακος* Poll., *μελλέφηβος* ap. Censorinum d. nat., *ἐρει-γό-βιος* Greg. Naz., *τηκό-λιθος* Paul. Aeg., *φαινό-πους* Theognost., *χαίρ-αθλος* Nicet. Eug., *λειπ-ανθρωπία, σαίν-ουρος* Eust., *σαινό-λογος* Moschop.; aetatis ignotae, sed certe recentioris *δάμν-ιππος* Orph. Arg., *φθινό-καυλος* Maneth., *σπεξί-πολις* schol. Pind., denique lexicorum haec: *μελλό-γαμβρος, μελλί-παις, μισγ-οδία, μισγό-λας, μισγό-νομος, σαίν-ουρος* Hesych., *ἐγειρί-φρων, φθινο-μετόπωρον* Et. M., *στρεβλο-μάχος* Et. Gud. — Nomina propria ab eiusmodi partibus prioribus incipientia apud historicos quidem et oratores permulta inveniuntur: *Ἰσχέ-νοος, Πειθ-αγόρης, Φαίν-ιππος, Φειδ-ιππίδης* Herod., *Ἰσχ-αγόρας, Φαίν-ιππος* Thuc., *Ἰσχό-λαος, Μισγο-λαΐδας, Χαιρίλεως* Xen.; *Ἴσχ-ανδρος, Πειθό-λας, Φαίν-ιππος, Χαιρί-τιμος* Demosth.; sed poetarum eiusmodi composita non habent nisi comici, et ipsi quidem rarissime: *Χαιρεφῶν* Ar., *Χαίριππος* Menand.; priorum Homerus *Φαίν-οψ* et *Φείδ-ιππος* (sed idem ab iisdem verbis derivata exhibet simplicia: *Φείδας, Φείδων, Φαινώ* h. Cer.); Anacreontis est *Φειδό-λας*.

tantum significationem iis inesse putarent, verbalique tantum significatione (obscura scilicet nec satis distincta) iis uterentur, nova eius modi commenta iam ab ipsis verbis iisque verborum formis, quarum significatio videbatur aptissima esse, i. e. praesentibus, repetebant.

Eadem fere ratione explicandum puto, quod in fine compositorum adiectiva mutaverunt *α* stirpis finale in *ο*, in commissura vero in *ε*, quodque eae stirpes, quae *α* radicale mutare soleat in *ο*, id non faciunt nisi in posteriore compositorum parte, in priore *α* mutant in *ε* (*σταφυλο-φόρος*, sed *φερε-στάφυλος*), quodque propter hanc vocalium naturam priora membra stirpibus verbalibus, posteriora nominalibus sunt similia. Eo enim tempore, quo stirpes *α* vocalem et radicalem et thematicam in *ε* mutabant, quoties ad formas verbales (ut *φέρε-σι*, *φέρε-τε*), in *ο*, quoties ad nomina fingenda (ut *φόρος*) adhibebantur, quo igitur tempore Graeci iam a cognatis nationibus et vel a Romana iam discesserant, tunc in posterioribus compositorum membris propter declinationis munus sustinendum adiectivi notio, in prioribus verbalis significatio ita praevaluisse videtur, ut illa eandem *α* vocalis mutationem paterentur atque nomina ipsa, haec eandem quam verba. Quae autem omnino causa sit, cur *α* vocalis in *ο* aut *ε* sit mutata, prout stirpes ad verborum aut ad nominum formas fingendas adhibebantur, id quidem difficile est diiudicandum neque ad nostram quaestionem pertinet.

Quam denique difficultatem a **significatione** repetit Clemmius, ea quidem difficultas nulla est. Boppii enim explicationem non quadrare ait p. 138 in determinativa a verbali parte incipientia, velut *ἑρπ-άκανθα*, *μελλ-είρην*, *λιπ-ανδρία* al., vel possessiva ut *πλή-θυμος*. Sed mihi quidem haec multo facilius videntur explicari posse, si prior pars adiectivum, quam si verbum est, meaque sententia nihil differunt illa a *καλλί-παις*, *καλλιγύναιξ*, *πολύτροφον* al., sunt enim hoc modo solvenda: *ἄκανθα ἕρπουσα*, *εἴρην μέλλων*, conditio *ἄνδρας λιπόντας* habendi, *θυμὸν πλήρωμα ἔχων*.

De prioribus partibus verbalibus asigmatis in *ι* desinentibus quid sentiamus, supra diximus p. 29 sq.

Veniamus ad **composita sigmatica**, **Leonisque Meyeri**

de illis sententiam. Qui ubi de suffixo adiectivali *ti* apud Graecos in solo *νῆστις*, apud Latinos saepius usurpato agit (Vgl. Gr. II, 328): „Zu diesen adjectivischen formen, inquit, darf man dann aber auch noch eine anzahl ganz lebendig participiell gebrauchter griechischer bildungen stellen, welche nur als anfangsglieder zusammengesetzter wörter auftreten und deshalb weiterhin noch genauer betrachtet werden müssen. Wir meinen bildungen wie *ταμεσι-*, *ἑλκεσι-*, *τερψι* und ähnliche, in zusammensetzungen wie *ταμεσίχροος*, den leib schneidend, *ἑλκεσί-πεπλο-* gewand nachschleppend, *τερψί-μβροτο-* menschen erfreuend, die man der reihe nach nicht wol anders fassen kann als wie wir auch übersetzten, in der participiellen bedeutung „schneidend, nachschleppend, erfreuend", und die sich am nächsten vergleichen lassen mit einer altindischen bildung wie *açvam-ishṭi* ein ross wünschend, in seinem schlussteil. In bezug auf die stellung der glieder der zusammensetzung zu einander entsprechen der letztgenannten altindischen form aber noch genauer ein paar ganz vereinzelte griechische wörter, wie *βορβοροτάραξι-* schlammaufwühler, das Aristophanes in den Rittern (309) hat, oder *ὠτο-κάταξι-* ohrenzerschläger, kopffechter (bei den siebzig)."

Quae Clemmius contra hanc sententiam profert, ea maximam partem eius modi sunt, ut facili opera possint refutari. Nam primum quidem quod p. 58 sq. monet, praeter unum *νῆστις* adiectiva tali suffixo formata in Graeca lingua non extare, magni non est pendendum, quum cognatarum linguarum latinae et sanscritae (cf. G. Meyer p. 110 sq.) testimonio eam terminationem iam indogermanicis temporibus in usu fuisse constet. Sed oblitus est nominum substantivorum eo suffixo terminatorum, quae L. Meyer p. 329 enumerat: *πόσις* (sanscr. *pati*), *μάντις*, *μάρπτις*, *κάσις* (hoc quidem dubium est), *Σίντις*, *Φίντις*, et femininorum p. 330 sq. *βού-βρωστις*, *κνῆστις* strigilis Λ 640, *μάστις* flagellum. Cf. G. Meyer p. 111. Addo *Μηλόβοσις* Oceanidae nomen h. Hom. Cer. 420, Hes. th. 354, *Μάρψις* satyri nomen in amphora picta nuper in monum. inst. arch. vol. VIII, tab. 46. edita, denique *οἰνήρυσις* (Arist. Ach. 1067, Poll. 6, 19. 10, 75), i. e. trulla, qua vinum ex cratere hauritur, quod est nomen actoris ut permulta alia instrumentum significantia, e. c. *ζωστήρ*,

κοδανιστήρ al., cf. nostrum: *schöpfer*. — Haec omnia quum agentem significent, ab adiectivis notione haud multum distant, eoque tempore, quo primum ea formandi ratio in usum venit, omnino adiectiva a substantivis eodem quo postea modo distincta esse, probabile non videtur.

Neque ei rei multum tribuam, quae Clemmio inprimis molesta fuisse videtur (p. 57), quod antiquissimo iam tempore in sigmaticorum compositorum commissura praeter *ι* etiam *ε* et *ο* invenitur. Nam *ο* huc illatum facillimam explicationem petit ex innumerabili multitudine eorum compositorum, quae *ο* in commissura legitime habent; idque falsae tantum analogiae studio in sigmatica translatum esse ea re probatur, quod eiusmodi compositorum apud Homerum et Hesiodum nullum exstat, et apud posteriores demum leguntur composita a *δοξο*, *λειψο*, *μιξο*, *ὀρσο*, *πηξο*, *ῥιψο*, *στρεψο*, *φυξο* incipientia. *E* vero in commissura paucissima habent composita: *ἀκερσε-κόμης* Homericum, *περσέ-πολις* vel *περσέ-πτολις* tragicorum, *Ὀρσε-δίκη* nymphae nomen apud Apollodorum, denique deae nomen *Περσεφόνεια* Hom. *Περσεφόνη* et *Περσέφασσα* tragg., etiam *Φερσεφόνη* et *Φερσέφασσα*. De hoc quidem deae nomine proprio mihi nihil liquet, praesertim quum ipsa deorum nomina et antiquissima et explicatu difficillima esse soleant. Cetera autem asigmata esse videntur, nam in priore parte habent themata in dentalem desinentia: *περθ*, *ὀρθ* (cf. *ὀρσό-λοπος* et *παλίνορσος* Γ 33), *κερτ* (sanscr. *kartari* culter venatorius, *kart-ari-s* forfex; Benf. Wzll. I[1], 200; quo referendum fortassis etiam *κέρτ-ομο-ς* L. Meyer KZ. VI, 15, *κόρση* tempora, caput, *κόρσης* qui capillos tonsos habet). Quam ob rem in his quodam modo mixtas esse duas componendi rationes veri simile videtur, alteram per *ε* vocalem, qua retinendae erant consonantes integrae, altcram per *ι*, qua mutandae erant in *σ* (ita ut speciem praeberent sigmaticorum, revera essent tamen asigmata), ut factum est in *ἀκερσι-κόμης*, *Πλησ-ίστιος*, *ὀρσί-λοχος*, *εἰνοσί-φυλλος* Hom., *βρισ-άρματος*, *λησί-μβροτος* hymn., a radicibus *κερτ*, *πληθ*, *ὀρθ*, *ὀθ*, *βριθ*, *ληθ* repetendis, et haud scio an huc referendum sit etiam *φαισί-μβροτος*, ad *φαέθω* revocandum. Etiam in his enim dubitare possis, *σ* illud sequentisne *ι* vi ex *θ* vel *τ* factum sit, an sit consonans

suffixi σι, ante quam dentalis thematis expulsa sit. Nec mihi liquet: certe, quum ἀκερσικόμης dicebatur, facile fieri poterat ut ἀκερτεκόμης mutaretur in ἀκερσεκόμης.

Quamquam igitur causas a Clemmio contra Meyerum propositas sufficere non puto, tamen ut ipse quoque illius sententiam ex parte improbem, movet ε vocalis in tot antiquissimis vocabulis ante σ conspicua, quae quomodo hic inseri potuerit, non intelligo. Ea de re consentio cum Clemmio p. 54. 58. Sed hoc non valet nisi ad reiciendum *ti* suffixum, manet Meyeri sententia, priores horum compositorum partes esse adiectiva. Itaque probabilior videtur coniectura Schönbergii, quam secutus est Gustavus Meyer, illud ι σ ι tot nos laqueis intricans esse antiquiorem formam suffixi ες ad adiectiva fingenda saepius adhibiti, ut σαφές, et praecipue in fine compositorum frequentis: δυςηλεγές, προςφερές, εὐανθές, πολυμαθές, ἱππομανές al. Haec explicatio nititur lingua sanscrita, quae et ipsa suffixo *as* ad adiectiva formanda saepius utitur, et in vedicis quibusdam adiectivis exhibet *asi*: *dharṇasi* acer, alacris, fortis, *sânasi* (rad. *san*), et recentiora *varṇasi parṇasi*. Quamquam propter ipsam hanc sanscriticorum exemplorum paucitatem omni dubitatione liberam illam explicationem non esse concedo, tamen difficultatis praebet omnium adhuc inventarum minimum. Praeterea sic optime explicatur, cur radices, quae ante *a* suffixum (gr. o) vocalem radicalem *a* mutent in o, ante *as* (ες) habeant ε: πρόςφορος, sed φερεσ-ανθής et προς-φερής: propter ι vocalem olim adhaerentem *a* et suffixi et radicis ipsius clariore voce pronuntiabatur, deinde fiebat ε, ut apud nos *zählen* ex *zaljan* factum est. Denique hac Schönbergii explicatione significationi optime consulitur. Quum enim non nullorum compositorum quae εσι in commissura habent, priores partes passiva utantur significatione (ἀεσίφρων[1]) et πηγεσίμαλλος), suffixo

[1]) ἀεσίφρων Υ. 183. Ψ. 603. ο. 470. φ, 302 neque ab ἀῆναι flare neque ab ἀέσαι dormire repeti posse, sed idem esse atque φρεσὶν ᾗσιν ἀασθείς (φ 301), et ab ἀάσαι propagatum esse, bene Buttmannus demonstravit Lexil. I, p. 224. Quod autem compositi forma non ἀασίφρων est, ut exspectaveris, sed ἀεσίφρων, neque, ut Buttmannus, analogia formarum ἀλφεσίβοιος ταμεσίχροος cet. factum puto, nec assentior Clemmio, qui p. 39 ἀεσαι a radice ἀF derivandum esse censet. Nam etiam posteriores compositorum partes a verbis puris ita derivantur, ut ante

agentis τι locus non est, quod transitiva semper significatione utitur; sed suffix[illegible]ς et transitivam et intransitivam vim esse posse, notum est.

Tamen hanc explicationem in illis tantum compositis, quae σσι habent in commissura, locum habere, neque temere, ut facit Schönbergius, ad cetera omnia composita sigmatica adhibendam esse, recte monuit G. Meyer p. 98. Cetera composita sigmatica L. Meyerum secutus suffixo *ti* formata esse mavult, neque ego magnopere refragor, dummodo ne obliviscamur, posteriore tempore id compositorum genus, quod ι vocali non interposita fingitur, adeo adamatum esse, ut permulta, quin etiam longe maxima pars ad analogiam tantum antiquiorum fingerentur; quae quum propter formae similitudinem vel ab aoristis primis vel a substantivis abstractis in -σις derivata esse viderentur, etiam in novis fingendis horum similitudinem maxime sequebantur.

Non praetermittenda est una quae videri possit difficultas. Nempe ι sigmaticorum ante vocalem quidem elidi in *βοσι-άρματος*, *πλησ-ίστιος*, *θυσα-ίχωρον* all. nihil habet dubitationis; quo autem modo explicanda sunt, quae ι elidunt ante consonantem? Sed hoc non fit nisi in duobus: *φερεσ-σακής* et *φερέσ-βιος*. Et in *φερεσ-σακής* quidem ι inter duo sigmata excidisse, vel ipsa sigmatum natura sibilanti oppressum esse, non est quod mireris; *φερέσ-βιος* Hsd. hymn. haud scio an vocum *φερεσανθής*, *φερεσσακής* analogiam secutum sit: aliter equidem explicare nescio.

suffixum ες elidatur stirpis vocalis finalis: *ἀλι-α-ες*, *ἀκρ-α-ες*, *δυσ-α-ες* (*ἀέ-σαι*), *κενε-αυχ-ες*, *μεγ-αυχ-ες* (*αὐχέ-ω*), *φιλο-μμειδ-ες* (*μειδά-ω*), *ἀμματο-στερ-ες* (*στερέ-ω*). Idem in *ἀταίφρων* in priore parte factum esse videtur. — De *πηγεσί-μαλλος* supra p. 37 sq. dictum est.

NOTARUM EXPLICATIO.

KZ. signif. Zeitschrift f. vergleich. sprachforsch. hsg. v. A. Kuhn.
Cl. „ Clemm, Vil., De compositis Graec., quae a verbis incipiunt. Diss. inaug. Giss. 1867.
Justi „ Justi, Ferd., Ueb. d. zusammensetzung der nomina in den indog. sprachen. Gött. 1861.
G. Meyer „ Meyer, Gust., Beiträge zur stammbildungslehre des griech. u. lat. in Curtius Studien z. gr. u. lat. gramm., Bd. V.
Roed. „ Roediger, Rich., de priorum membrorum in nominibus graecis compositis conformatione finali. Lips. 1866.

DE

INTERIECTIONUM EPIPHONEMATUMQUE

VI ATQUE USU

APUD ARISTOPHANEM

SCRIPSIT

AEMILIUS SCHINCK.

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA LIPPERTIANA
(MAX NIEMEYER)

M DCCC LXX III.

